cultum solvere, & adorationem deferre, non verò tanquam obiecto materiali; nam profecto certum est me teneri ad alienum equum benè tractandum, verbi gratia, Petri, & illius bonum procurandum, non quidem propter illum; sed propter Petrum; qui est eius Dominus; ità ergò in proposito nos quoque ipsis imaginibus cultum debemus, etiam ut est cultus illarum, non tamen quasi id sit ultimum motuum, sed ut cultus illarum transit in exemplar.

270 Sed instat Vasquez, religio est pars potestativa iustitiæ, sicut & aliæ virtutes, in quibus requiritur ratio debiti ad alterum, ut gratitudo, pietas, atque ita sub iustitia, quæ est ad alterum, includitur ut pars potestativa adoratio, quia in ea includitur aliqua ratio debiti, scilicet, solvere honorem alteri debitum, atqui circa rem inanimatam nulla potest exerceri iustitia; ergo non est capax adorationis, nec ullus cultus est illi debitus in se; & ideò qui adorat imaginem, non exercet aliquam iustitiam erga imaginem, cùm non sit capax iustitiæ, aut æqualitatis, sed servat illam æqualitatem solvendo debitum cum exemplari.

Respondeo hoc argumentum plus probare, quàm velit arguens, nempè imagines revera non adorari; si enim adoratio est pars iustitiæ, & circa rem inanimatam nulla potest exerceri iustitia, consequens est nullam etiam posse exercerì adorationem; quod si adorationem fateatur circa illam exerceri posse, concedendum est etiam posse exerceri iustitiam, vel certè argumentum ex iustitia ad adorationem erit nullum; Quare ad argumentum dico, quod Religio sit pars potestativa iustitiæ, & quod sit ad alterum probare solùm; semper obiectum formale, & ultimum adorationis debere esse personam rationalem, hoc autem non obstat, quod res inanimata possit esse obiectum saltem materiale. Vel dicatur cum Lugo adorationem imaginis esse actum iustitiæ potestativæ, quia re vera peritillum actum redditur ius, quod debet, non quidem ipsi imagini, sed exemplari; nam licet non adoretur formaliter, & in recto exemplar; satisfit tamen iuri, quod habet exemplar ad hoc ut adoretur sua imago; nec enim necesse est, quod æqualitas ponatur cum omni re adorata, dummodò ponatur cum persona, propter quam res adoratur; Et hoc juxta primam viam tam infinuatam n. 269. nam iuxta alteram, sicut non omninò amentis est, ut dicebat Vasquez, aliquem iudicare se aliquid honoris debere equo propter Dominum, nam & communiter proloquium est *reverear Asinum propter Dominum*; ita nec omninò stultum est dicere posse in eodem sensu circa rem irrationale iustitiam exerceri. Sed sive hoc, sive illud dicatur, semperetamen afferendum est, terminationem submissionis interne ad rem adoratam esse de essentia adorationis, neque enim adorare dicor illum, cui per notam externam ostendo me habere interna submissionem circa alterum; neque verò dici potest adoratio, quam nulli præcedit interna submissio, ut quando quis fingit submissionem internam per cultum, & reverentiam externam, quam exhibet.

271 Postremò arguitur contrà quintam conclusionem, in qua diximus adorationem imaginis semper esse inferiorem, & minorem adoratione exemplaris, nam in Synodo 7. actione 4. habetur *non esse duas adorationes, sed unam imaginis, & primi exemplaris*, unde communis sententia est eadem adoratione imagines adorari, qua exemplaria, & unico actu; at hoc verificari non potest si non æqualiter adorantur imago, & exemplar, sed superiori, & nobiliori adoretur exemplar, & inferiori autem imago; nam sic non una, & eadem esset adoratio, sed duæ, quarum altera sit superior, altera inferior.

Respondeo, unam & eandem esse imaginis, & exemplaris adorationem simpliciter loquendo, terminatam tamen ad duos terminos diversos invicem subordinatos, quos denominat inæqualiter adoratos. Neqsad hanc denominationem inæqualem tribuendam opus est duplicare formam, seù adorationem; sed una, & eade n adoratio illos duos terminos potest inæqualiter denominare, nam obiectum materiale universaliter loquendo semper minus amatur, quàm formale, citò ametur per eundem actum; sic actus amoris, quo diligo proximum propter Deum, & ex motivo charitatis, ad utrumque terminatur obiectum, & non utrumque denominat æqualiter amatum, sed in æqualiter, Deum namque denominat amatum super omnia, proximum verò multò minus; Sic etiam è contrà idem submissionis affectus ab illis terminis diversas suscipit denominationes, quæ enus enim tendit in imaginem propter ipsius exemplaris excellentiam dicitur adoratio respectiva; quatenus verò fertur in ipsum exemplar ultimatè propter ipsius excellentiam, dicitur adoratio absoluta, sicut idem amor, quatenus fertur in bonum, quod appetitur, dicitur concupiscentia; quatenus verò fertur in personam, cui, & propter quam appetitur, dicitur amicitia; & idem actus, ut tendit in medium dicitur electio, ut in finem intentio. Et ratio universalis est, quia non repugnat unum, eundemque actum secundum substantiam terminari ad varia obiecta præsertim inter se subordinata, à quibus varias sortiatur denominationes, ut constat tùm ex allatis exemplis, tùm ex visione beata, licet enim beatus eadem indivisibili visione Deum videat, & creaturam in Deo, ut Scotus docet 3. *dist.* 14. *qu.* nihilominus illa visio est beatitudo, prout ad Deum terminatur, non verò prout terminatur ad creaturas si igitur in proposito, quàm vis idem adorationis motus tendat ad exemplar in imagine, & ad imaginem propter exemplar, nihilominus ille actus respectu exemplaris, v.g. Christi est proprie Latria, scilicet, absoluta, quia illud respicit, ut obiectum summè excellens, & per se adorabile: respectu verò imaginis, non erit tam perfecta adoratio sed inferior venratio, quæ dici solet Latria imperfecta, & respectiva, quia illo eodem actu non adoratur, ut summum obiectum, sed ut aliquid ad illud pertinens coadoratur illi.

Dices, saltem in eo casu quo imago simul cum exemplari adoratur per modum unius, & totalis obiecti, tunc adoratio imaginis non est minor, & inferior adoratione exemplaris, quia in eo casu imago quoque adorationem terminat absolutam, ut dictum est n. 244. Respondeo etiam in eo casu aliquam adesse inæqualitatem inter adorationem imaginis, & exemplaris, si non quoad substantiam, saltem quoad modum modo iam explicato n. 260. 272

QUÆSTIO UNDECIMA.

De communicatione Idiomatum inter Deum, & hominem quid sit, & quomodo fiat.

IDiomatum communicatio nomen est ex Patribus Græcis desumptum; quod latinè idem significat, quod mutua prædicatio attributorum divinorum, & humanorum inter Deum, & hominem; Unio enim hypostatica hoc efficit, ut natura humana personæ Verbi immediatè uniatur, & consequenter, ut duæ naturæ in eadem persona Verbi uniantur, ac in ea subsistant; Unde duplex oritur communicatio respectu illius personæ; una duarum naturarum, iuxta quam dicimus Verbum est Deus, & verbum est homo, Deus est homo, & homo est Deus; altera proprietatum, seù attributorum utriusque natiræ, iuxta quam dicimus, Christus est æternus, immortalis, infinitus, & Christus est temporalis, mortalis, finitus; quod ita intelligendum est, ut sit æternus secundùm divinam naturam, & temporalis secundum humanam, & sic de cæteris; Itaque hic videndum est, an ex prædicta unione proveniat Idiomatum communicatio; quæ, & qualis sit, ac tandem quomodo sit exercenda, & pro resolutione quæstionis.

Primò dicendum est, in mysterio Incarnationis ex unione hypostatica naturæ divinæ, & humanæ in eodem supposito oriri veram, ac propriam communicationem Idiomatum inter Deum, & hominem; Hæc conclusio simpliciter, & absolutè loquendo est de fide, & probatur, quia ratione unionis hypostaticæ divinæ, & humanæ prædicata de eadem persona verè prædicantur, & verè, ac propriè dicitur *Deus est homo, & homo est Deus*, ut constat ex Concilio Ephesino, ubi contra Nestorium definitum est Beatam Virginem esse Deiparam, hoc est Dei genitricem, quia nimirum ille homo, cuius est Mater, est verè Deus; Quod etiam ex variis Scripturæ locis confirmari potest, in quibus idem homo Christus appellatur Deus, & ipsemet Dei Filius dicitur homo mortuus, crucifixus, & sepultus, ut etiam habetur in Symbolo Apostolorum. Hinc male Durandus 3. *dist.* 4. *qu.* 2. asserere videtur hanc propositionem *Deus est homo* non esse in rigore veram, seù non esse omninò propriam, sicut est ista *Petrus est homo*, unde ait potius dicendum esse, Deus est humanatus, quàm homo. Et quidem tam propositionem *Deus est homo* esse veram, & propriam probat Doctor 3. *dist.* 7. *qu.* 1. *B.* quia verè, & propriè Verbum est homo; ergò verè, & propriè, Deus est homo, probatur assumptum, suppositum subsistens in aliqua natura, ut suppositum naturæ, dicitur tale formaliter secundum illam naturam, creditum est autem talem esse istam unionem, quod per eam Verbum subsistit in natura humana, ut suppositum in natura; ergò per eam Verbum formaliter verè, & propriè est homo; Consequentia verò probatur, quia quando prædicatum convenit inferiori verè, & propriè, convenit etiam superiori, & communi, licet non primò, & immediatè; sed mediatè; ergò si prædicatum *homo* convenit formaliter, & propriè Verbo ex vi unionis hypostaticæ, quod se habet veluti inferius, convenit quoque Deo, qui se habet ad modum superioris, & communis.

Sed Obiicies cum Durando, ubi est maior identitas inter præiudicatum, & subiectum, est maior veritas, & proprietas prædicationis: at maior identitas est propter Petrum, & hominem, quàm inter Deum, & hominem: ergò &c. Minor patet, quia Petrus per eandem naturam est homo, per quam etiam est Petrus, unde est in primo modò, at Deus non est Deus per naturam humanam. Confirmatur, quia de Petro dicitur homo per se, & essentialiter, de Deo autem quasi denominative; 274 275

ergo

ergo non tam propriè. Tandem Deus dicitur propriè humanatus, ergo non ita propriè dicitur homo, quia idem terminus substantialis non potest utroque modo, & æquè propriè prædicari de eodem subiecto; antecedens est Damasceni, & aliorum Patrum.

Respondeo negando maiorem, quia tam verè, & propriè Petrus dicitur risibilis vel albus, si vere est albus, quam homo, utrùque enim dicitur absquè ulla improprietate, vel metaphora, quamvis homo sit magis idem Petro, quàm risibile, & album; unde falsum est absolutè loquendo maiorem identitatem inferre maiorem veritatem, & proprietatem prædicationis, sed solùm inferre potest maiorem necessitatem inhæreatiæ prædicati cum subiecto. Ad Confirmationem quicquid sit de antecedente, de quo infrà, negatur pariter consequentia, si enim propositio servet propriam terminorum significationem, & debitam habitudinem, potest esse propositio omninò propria, & in quacunque qualitate propositionis, unde tam propria est hæc *homo est albus*, sicut hæc *homo est animal*, quamvis hæc sit essentialis, & in materia necessaria, illa verò denominativa, & in materia contingenti. Ad ultimum respondet Doctor, & cum eo Cardinalis de Lugo, & alii passim, negando, Deum dici posse propriè humanatum, si *humanatum* sit adiectivum ab humanitate, & non participium è verbo *humanor*, quo quidem modo sumitur à Damasceno, & alii Patribus, cum Deum dicunt humanatum in Incarnatione; alia argumenta soluta, vide apud Aretinum 3. *dist.* 7. *quæst.* 1. *art.* 5.

Secundò dicendum est, hanc communicationem idiomatum non consistere, in reali communicatione attributorum divinitatis facta humanitati, & è contrà, ut quidam Hæretici commiscuntur, itaut omnipotentia, omniscientia, æternitas, &c. verè insint ipsi naturæ humanæ, ipsamque formaliter denominent, & è contrà, quod divinitas habeat in se proprietates humanitatis. Hæc etiam est de fide, & probatur, quia indè sequeretur unam naturam esse conversam in aliam, & vnionem factam esse in natura, quia facta esset in attributis divinis, quæ sunt divinæ naturæ proprietates; at fides docet unionem hanc naturarum factam esse tantùm in persona, & ambas naturas remansisse impermixtas contra Eutychen.

Confirmatur, quia unum attributum nequit sine alio communicari, nam quodlibet attributum intrinsecè aliud includit, nec est maior ratio de communicatione unius, quàm alterius; at nequit humanitas esse actus purus, independens, æterna, & similia, quia humanitas componitur essentialiter ex anima, & corpore; habet esse à Deo, & ab eodem conservatur; & in tempore fuit producta; ergo &c. Vera itaque communicatio idiomatum, quæ ex mysterio Incarnationis oritur, tantum in hoc consistit, ut ratione illius unionis divina, & humana prædicata de eadem persona verè prædicentur, quæ ratione dicimus, quod homo est Deus, æternus, infinitus &c. & è contrà Deus est mortalis, cuius rationem assignat Doctor *loc. cit.* quia quandò duæ formæ, vel naturæ verè, & realiter in eodem uniuntur supposito, de eodem verè prædicari possunt, ut in formis accidentalibus constat; calor enim, & albedo, si eidem supposito insint, v. g. Petro, de eodem prædicantur, unde fit, ut hoc album v. g. nix dicatur frigidum; & è contrà; sed in hoc mysterio duæ naturæ uniuntur substantialiter eidem supposito; ergo nomina illas naturas significantia in ordine ad suppositum, ut sunt homo, & Deus, verè prædicabuntur de eodem supposito, cuinaturas ipsas applicant, ipsumque in illis subsistere significant; Ex quo fit ut unum de altero inter se verè prædicetur, quod per syllogismum expositorium facilè colligitur sic arguendo, si Christus est homo, & Christus est Deus, ergo homo est Deus. 273

276 Sed Obiicies testimonia Scripturæ, & Patrum dicentium maiestatem, & gloriam divinitatis, aut efficaciam, & divina attributa fuisse humanitati communicata, ut ad Colosf. 3. *in Christo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*, & Matth. 11. *omnia mihi tradita sunt à Patre meo*. Confirmatur quia fuit naturæ humanæ communicata subsistentia; ergo & alia attributa. Tandem, quia aliàs sequeretur hanc Idiomatum communicationem non esse veram, & realem, sed solùm quadam verborum denominatione consistere.

Respondeo, cùm dicitur in Scriptura habitare in Christo omnem plenitudinem divinitatis, sic est intelligendum, quod sicut Christus est verus Deus, & verus homo, opus est, quod sicut in ipso est plenitudo humanitatis, idest, natura humana cum suis proprietatibus, & attributis, sic etiam sit plenitudo divinitatis, idest, divina natura cum suis, & ly *corporaliter* idem significat, quod verè, & substantialiter, sic enim divinitas reperitur in Christo, & non participativè tantùm, sicut in aliis iustis; Item intelligi debet, quod omnes divinæ perfectiones fuerunt humanitati Christi communicatæ, non quidem immediatè, & formaliter, sed mediatè, & consequenter ratione, scilicet, suppositi, in quo ipsa humanitas reperitur; neque ex hoc sequitur fieri posse verè, & propriè prædicationes in abstracto ratione istius identitatis suppositi, nam in statu obstractionis ab hac identitate fit abstractio, ut dicemus.

Ad Confirmationem negatur consequentia, quia unio non fuit immediatè facta ad naturam, sed ad personam, & ideò immediatè & per se recipere nequit humanitas prædicationem divinorum attributorum, sicut recipit prædicationè subsistentiæ, sed tantùm mediatè, & concomitanter per idiomatum communicationem ratione unitatis suppositi, in quo divina, & humana natura subsistunt. Ad ultimum negatur consequentia, quia cùm per illas locutiones significetur vera, realis, ac substantialis unio naturarum in eodem supposito, ac eandem esse personam, quę utramque naturam operatur, dici nequibit talis communicatio in solis consistere verbis, sed veram, ac substantialem unionem duarum naturarum indicabit in eodem supposito absque earum permixtione.

Tertiò dicendum est, prædicata propria unius naturæ, non posse de altera in abstracto, vel etiam in concreto cùm reduplicatione prædicari; at prædicata propriā utriusque naturæ in concreto sumpta, & sine reduplicatione prædicari possunt de eadem persona, & etiam adinuicem in concreto. Hæc conclusio tres habet partes, & quoad omnes, & singulas fatis communis est, ac frequens in scholis. Ratio primæ partis est, quia prædicatio cum sit quædam identitas sequitur unionem; cùm igitur naturæ inter se non fuerint immediatè unitæ, sed in supposito; sequitur, quod in abstracto sumptæ, quo pacto à supposito præscindunt, nequeunt de se invicem prædicari, nec proprietas unius de proprietate alterius, & ideò non valet dicere, Deitas est humanitas, vel Deitas est homo, vel humanitas est Deus, immensa, omnipotens, &c. quia concreta divinitatis non insunt humanitati in abstracto sumptæ, sed soli insunt divinitati, & ideò non possunt de humanitate ita sumpta prædicari. Ratio alterius partis est, quia reduplicatio significat id suprà quod cadit, esse rationem formalem, cur prædicatum conveniat subiecto; at divina natura non est ratio, ut Christo convenant attributa humana, neque natura humana est ratio, cur illi attribuantur divina; ergo attributa divinæ naturæ etiam in concreto tribui nequeunt Christo, ut homini cum reduplicatione; nęc proprietates naturæ humanæ possunt Christo tribui, ut Deo, cum eadem reduplicatione; quarè dicere non valebit, Christus, ut homo, est æternus, creator, &c. Christus, ut Deus, est passus, mortuus &c. Ratio tandem tertiæ partis est, quia licet nomina creata substantiva distinctè significent formam, in confuso tamen significant subsistentiam, seù suppositum; Cùm ergo in Christo sint duæ naturæ in uno, ac eodem supposito, indè fit, ut omnia, quę conveniunt uni naturæ possint attribui alteri in eodem supposito; Tum quia eadem est persona in utraque natura; cum ergo per concreta semper appelletur suppositum, talia enim dicuntur, quia suppositum concernunt, & divinum suppositum sit sub utraque natura, ac earum attributis, omna iste prædicationes valebunt; Verbum est Deus, Verbum est homo; Homo est Deus, & Deus est homo; Christus est mortalis, Christus est immortalis, & similes, verificantur enim de Christo ratione duarum naturarum in eadem persona subsistentium. 277

Notat tamen Doctor 3. *dist.* 7. *q.* 2. in fine ab his regulis de cōmunicatione idiomatum excipienda esse prædicata, quę exprimunt unionem naturę ad personam, undè non valet dicere Deus est subsistens in utraque natura, Deus est terminus resultans ex unione mutatus est, quando factus est homo, & similes; ratio est, quia hęc communicatio fit propter unionem, ideoque eam supponit, ut effectus causam. Hęc in generali sufficiant pro intelligentia communicationis Idiomatum inter Deum, & hominem in Christo ratione unionis duarum naturarum divinę, & humanę in eodem supposito: Verùm quia aliquę propositiones solent formari de Christo sub nominibus naturarum divinæ, & humanę, & quędam secundum nomen proprium ipsius Christi, quę peculiares continent difficultates, illas examinare non erit inutile in articulis sequentibus istius questionis.

ARTICULUS PRIMUS.

Examinantur propositiones de Christo formatæ sub nominibus tum naturarum divinæ, & humanæ.

PRimò dubitatur, an hæc propositio, Deus est homo, vel Verbum est homo, sit prædicatio formalis, vel identica, hoc est, an homo in hac prædicatione supponat pro natura humana, vel potius pro supposito Verbi. Aliqui apud Scotum *dist.* 7. *cit. quæst.* 1. §. *tertio videndum*, dixerunt hominem hic supponere pro supposito Verbi, ut idem sit rectum prædicati cum recto subiecti, adeout sit prædicatio per identitatem innuendo talem implicationem, Verbum est suppositum, quod est homo; quem dicendi modum sequuntur Hurtadus *disp.* 69. *sect.* 3. Lugo *disp.* 23 *sect.* 1. & Alii Recentiores; Fundamentum est quia si homo significatet naturam in supposito, & non potius 278

suppositum ipsum, sequeretur, quod hæc propositio *Deus est homo*, faceret hunc sensum, natura divina existens in supposito est natura humana existens in supposito, qui sensus est falsus, ità Lugo *loc. cit.* & Arriaga *disp. 46. sect. 2.*

279 Oppositum docet Doctor *loc. cit.* ubi vult hanc prædicationem esse formalem, & consequenter hominem hic significare naturam quem dicendi modum sequitur Vasquez *disp. 63. cap. 4.* & probat Doctor, quia suppositum subsistens in aliqua natura dicitur tale formaliter ab illa; sed Verbum Dei subsistit in natura humana, ut suppositum eius; ergo est formaliter homo per naturam humanam, & per consequens hæc est prædicatio formalis, Verbum est Homo; ac etiam, Deus est Homo, quia Deus potest supponere pro Filio Dei, vel Verbo; minor patet, probatur major, quia prædicatio naturæ de supposito est formalis, & non tantùm per identitatem, natura enim in concreto sumpta formaliter prædicatur de supposito proprio, undè hæc est in primo modo dicendi per se, Petrus est homo; ergo natura humana in concreto formaliter prædicatur de supplente vicem suppositi proprii, & non per identitatem; & licet non prædicetur quidditativè, non prædicatur tamen mere adjectivè, & accidentaliter, sed substantialiter, quia nomina concreta naturæ divinæ, & humanæ verè, & propriè de se mutuò prædicantur substantialiter, ut dictum est. Confirm. quia si hæc prædicatio esset identica, tunc daretur processus in infinitum, probat Doctor consequentiam, quia hoc interest inter prædicationem formalem, & identicam, quod illa fit, quando prædicatum in est subjecto forma liter, idest, per modum adiacentis, vel inhærentis, aut quiddicativè, aut denominativè; identica verò est, quando idem de seipso prædicatur, vel explicitè, vel implicitè; si ergo ea propositio est identica, & significet suppositum, tunc faceret hunc sensum *Deus est homo* hoc est *Deus est suppositum, quod est homo*, tunc quæro in hac propositione expositoria, an homo formali prædicatione prædicetur, an verò identica, hoc est, cùm dicitur *quod est homo*, an homo supponat pro supposito, vel pro natura; si pro natura habetur intentũ, quod de supposito divino formaliter dicetur; si pro supposito, debebit sicut prima exponi, & sic dabitur processus in infinitum.

280 Respondent illam propositionem expositoriam non ità exponi debere, sed hoc modo *Deus est suppositum habens humanitatem*, quo pacto non sequitur processus in infinitum. Sed contrà, quia sequeretur, quod natura nunquam in recto diceretur de proprio supposito, nec unquà superius immediatè prædicaretur de inferiori, sed quælibet propositio, vel prædicatio esset singularis, & identica: Tùm quia si sensus huius propositionis *Deus est homo* esset hic tantùm, *Deus est suppositum habens humanitatem*, ea de ratione diceretur caro, quia habet carnem; & pes, vel manus, quia habet pedem, & manum. Nec fundamentum in oppositum urget, quamvis enim homo significet naturam concernentem suppositum, & non directè, & explicitè suppositum, non sequitur eam propositionem *Deus est homo*, facere eum sensum, *Natura divina existens in supposito est natura humana existens in supposito*, sicut nec ità exponi debent aliæ propositiones, in quibus prædicatum formaliter dicitur de subjecto, unde dum dico *paries est albus*, non est sensus *paries est albedo existens in subiecto*, ied *albedo inhæret parieti*, ut dictum est *disp.* 2. Logicæ *q. 6. art. 2.* & dùm dico *Petrus est homo*, non ità exponi debet *Petrus est humanitas existens in supposito*, sed *Petro convenit humanitas*, sic igitur in proposito hæc *Deus est homo*, ità exponi debet, *Deo convenit humanitas*.

281 Secundò Dubitatur, an in ea propositione, *Deus est homo*, Deus à parte subiecti supponat pro supposito Verbi solùm, an etiã supponere possit pro individuo Deitatis; Vulpes *disp. 8. art. 5.* ait Deũ dupliciter supponere posse, vel simpliciter, vel personaliter, & in utroq; sensu concedit propositionem esse veram, cũ hac differentia, quod ut Deus supponit simpliciter, est vera secundũ communicationẽ Idiomatũm, at ut supponit personaliter est vera immediatè ex vi unionis; Quem dicendi modum quoad primã partẽ de suppositione simplici optimè P. Bellutus *disp. 25. q. 1. num. 25.* ostendit errare in ianuis, & in principiis Logicis, nam hæc propositio *Deus est homo*, in tantùm est vera, inquantùm concernitur unio cum supposito, quia est vera mediate, non immediatè, at terminus communis simpliciter supponens sumitur pro suo immediato significato præcisè sumpto, hoc est, ut ab inferioribus præscinditur; ergò cùm Deus se habeat instar termini communis, quia Patri, Filio, & Spiritui Sancto convenit, cùm simpliciter supponit, præscindit à suppositis, & consequenter ab ità unione ad divinum suppositum, quæ est fundamentum totius veritatis communicationis Idiomatum. Itaque Cardinalis de Lugo, & Hurtad. *loc. cit.* docent supponere tantùm pro supposito Verbi, aliter dicendo *Deus est homo*, esse sensus *Natura divina existens in supposito est homo*, quod est falsũ. Vat quæ tandem *loc. cit.* inquit, Deum à parte subiecti supponere posse etiam pro individuo Deitatis.

282 Dicendum est Deum in ea propositione à parte subiecti, & posse supponere pro supposito Verbi solo; ac etiam pro communi individuo Deitatis, cum hoc discrimine, quod si primo modo sumatur, propositio est vera immediatè ex vi unionis; at secundo modo propositio verificatur de individuo Deitatis, ut supponit personaliter, non verò simpliciter, quia sumitur in ordine ad prædicatum, quod ipsi convenit, mediatè, & ratione suppositi, unde propositio verificatur solùm mediatè; & licet Deus supponat pro hoc Deo communi tribus personis, adhuc est prædicatio formalis, licet mediata, quia sicut ista, homo est albus, est formalis, licet mediata, & ratione istius, Petrus est albus, quæ est immediata; similiter ista, Deus est homo, ratione istius, Verbum est homo; Neque ratio in oppositum urget, dùm dicebatur, quod si Deus in ea propositione supponit pro individuo Deitatis, sensus istius *Deus est homo*, esset hic *Natura divina existens in supposito est homo*, Non enim ita exponi debet, sicut neque sic exponuntur aliæ propositiones, in quibus prædicatum termino communi tribuitur, ut supponit personaliter, & de ipso verificantur solùm mediatè, ratione singularium; non enim ista *homo est albus*, in qua prædicatum convenit homini, ut supponit personaliter, ita exponitur *Natura humana existens in supposito est alba*.

Sed cùm suppositio personalis, alia sit indefinita, alia determinata, dubitatur ad huc, an Deus in ea propositione personaliter supponens, supponat pro supposito Divino indeterminato, itaut propositio sit indefinita, an verò supponat pro sola persona Verbi, itaut propositio sit determinata. Suarez ait supponere determinatè, quia si supponeret indeterminatè pro aliquo supposito Divino, etiam ista propositio, *Deus non est homo*, esset vera, quia suppositum Patris non est Homo. Attamen utrumque asseri poteit, quod scilicet illa propositio, *Deus est homo* sit determinata, ac etiam indefinita; determinata quidem, quia terminus ille *Deus* supponit determinatè pro aliquo supposito Divino, quod de facto est Verbum, unde terminus ille communis restringitur à prædicato, ut supponat pro supposito Verbi tantùm; Potest et amdici propositio illa indeterminata; vel indefinita, quia est de termino habente aliqualiter rationem communis nullo signo determinato, & adhuc illa propositio vera est, quia ad veritatem propositionis indefinitæ satis est, ut prædicatum vere conveniat uni supposito subiecti, quamvis subiectum pro multis aliis supponat, ut constat in hac propositione *non est albus*, ad cuius veritatem sufficit, quod solus Petrus sit albus; Neque sequitur, quod ita pariter verificabitur opposita negativa *homo non est albus*, si Paulus, vel Franciscus non sit albus, quia cùm negatio sit malignantis naturæ, ut inquiunt Logici, quicquid potest invenit, destruit; unde absolutè prolata universaliter negare videtur prædicatum à subiecto; atque ideò ad eius veritatem requirirur, ut nullus prorsus homo sit albus; sic itaque discurrendum est in proposito, quod ad verificandam illam negativam, *Deus non est homo*, exigeretur, quod nullum suppositum divinum esset homo; Verum est tamen, quod in rigore Logico, utraque illa propositio esset vera, quia cùm sint in materia contingenti, utraque æquivalet particulari, unde cùm dico, homo est albus, homo non est albus, æquivalent istis particularibus, aliquis homo est albus aliquis homo non est albus, quæ ambæ possunt esse veræ.

Tertiò dubitatur, an in ea propositione, Deus est homo, prædicatum univocè dicatur de subiecto; Suarez, Beccanus, & alii Recentiores affirmant cum Thomistis; Fundamentum est, quia sicut quando dicimus, Petrus est albus, & equus est albus, estò Petrus, & equus non conveniant univocè in supposito, vel in specifica natura, adhuc tamen conveniant univocè in albedine, ac proindè albedo potest de illis univocè prædicari in concreto; ita igitur in proposito, licet Deus incarnatus, & alii homines non conveniant univocè in ratione suppositi, vel personæ, conveniunt tamen univocè in ratione hominis, vel humanæ naturæ: ac proindè potest homo de illis univocè prædicari.

Scotus tamen *l. 1. §. quartò videndum* concedit quidem *homo* in ea propositione esse univocum prædicatum respectu Dei, & nostri, quia humanitas est eiusdem rationis in ipso, & in nobis; negat tamen de Deo univocè prædicari, quem sequuntur Vasquez, Lugo, & alii Iuniores; Ratio est, quia apud Scotum non est idem esse univocum prædicatum respectu plurium, ac univocè prædicari proprie loquendo, nam univocum prædicatum dicitur illud, cuius conceptus est in se unus, & hoc modo album dicitur de ligno, & lapide, de equo, & homine est prædicatum univocum respectu illorum: univocè autem prædicari dicitur illud, cuius ratio est in se una, & ulterius includitur in ratione subiecti, de quo prædicatur, & hoc modo denominativum non prædicatur univocè, quomodo loquitur Philosophus in prædicamentis, ut explicatum est *disp. 2. Logic. quæst. 4. art. 1.* quia ergo homo tam de nobis, quam de Deo prædicatur secundum idem nomen, & rationem eandem, ideò est prædicatum univocum; at non prædicatur univocè de Deo, quia ad hoc non sufficit, quod prædicatum dicat nomen, & rationem communem, sed et am quod essentialiter conveniat univocatis; at homo non essentialiter convenit. Deo, sed

se accidentaliter logicè, ut mox dicemus; ergo &c. Ex qua doctrina constat falsitas oppositi fundamenti, quod nempe homo albus, & equus albus univocè convenient in albedine, & albedo de ipsis univocè prædicetur, est enim respectu illorum prædicatum univocum tantùm, non verò univocè dictum; Quarè ratio illa probat tantùm hominem respectu Dei esse prædicatum univocum, non tamen univocè prædicari, quia ad hoc satis non est, quod prædicatum dicatur de multis sub eadem ratione, sed requiritur, etiam quod ratio prædicati includatur quidditativè in ratione subiecti, quod non contingit in proposito; Et ex hoc fundamento facile solvuntur aliæ rationes, quæ solent à Thomistis in contrarium adduci, probant enim de univoco prædicato, non de prædicari univocè.

286 Obiicies, Christus significat duas naturas in una persona, quia secundum Damascenum Christus est nomen hypostasis duarum naturarum existens significativum; ergo cùm significet subsistens in natura humana, iam hoc prædicatum ità quidditativè includitur in Christo, sicut in Petro; ergò de illis univocè prædicatur.

Respondeo, aliud esse loqui de ista propositione *Deus est homo* & aliud loqui de illa, *Christus est homo*; quando Doctor, inquit, hominem esse prædicatum univocum non verò univocè prædicari loquitur de hac propositione, *Deus est homo*, & quia homo non includitur, intrinsecè & quidditativè in conceptu Dei, sed tantùm denominativè de eo prædicatur; ideò inquit esse prædicatum tantùm univocum respectu Dei non verò univocè dictum; loquendo verò de illa propositione *Christus est homo*, non negat hominem prædicari univocè de Christo, imo illud gratis concedit ob rationem allatam; inquit enim hanc propositionem esse per se, quia subiectum, nempe Christus, includit prædicatum; non potest autem includere, nisi univocè, quia aliter includendo propositio non esset per se, ut *art. seq.* magis explicabitur, & notat Faber, *disp. 17.*

287 Quartò Dubitatur, an ea propositio, *Deus est homo*, sit per se, ac in materia necessaria, seu naturali, an verò per accidens, & in materia contingenti. Thomistæ *qu. 16. art. 1.* asserunt esse propositionem per se, ac in materia naturali, quod ibi fusè explicat Cajetanus; At Scotus *loc. cit.* cum distinctione procedit, & inquit, quod licet metaphysicè loquendo sit propositio per se, & non per accidens; tamen logicè loquendo, & secundum rigorem logicum non est propositio per se, sed per accidens, & consequenter in materia contingenti, non verò naturali, & necessaria; quem dicendi modum sequuntur Scotistæ ac Nominales, nec non Recentiores passim, licet rem sub aliis verbis declarent; quod ea propositio metaphysicè loquendo sit per se, non per accidens, probat Doctor, quia id dicitur accidens metaphysicum, quod alteri accidit, eique unitur per accidentalem unionem, & inhærentiam ex 7. metaph. cap. de Ente, & uno; at homo in hoc mysterio Incarnationis non accidit Deo hoc modo, quia humanitas est substantia, & cum divinitate unitur substantialiter in eodem supposito, & Christum per se unum constituunt ineffabili modo, ut dictum *disp. 1.* ergo metaphysicè ea propositio non est per accidens, sed per se. Hinc tamen inferre non licet, eam propositionem esse per se logicè loquendo, quia hoc non obstante potest esse adhuc accidens logicũ, hoc est, aliquid cui conveniat definitio accidentis logici, quatenus comparatur ad Verbum, nempe adesse, & abesse præter illius corruptionem. Nec etiam refert, quod faciat unum per se cum Verbo, quia accidens logicum, vel prædicabile potest facere unum per se cum illo, respectu cujus est tale accidens, nam forma substantialis facit unum per se cum materia, & tamen respectu ejus est accidens logicum, seù prædicabile, qua ratione diximus *disp. 5. logic. qu. 5. art. 2.* quod licet substantia nequeat esse accidens metaphysicum, vel prædicamentale, quia quod verè est, nulli accidit 7. Phys. 17. potest tamen esse accidens logicum, vel prædicabile, quia adesse, & abesse potest præter subiecti corruptionem.

288 Quod autẽ ea propositio non sit per se logicè, probat Doctor quia in propositione per se prædicatum vel est de essentia subiecti, vel id intrinsecè includit causam inhærentiæ ipsius prædicatis sed Deus secundum se includit intrinsecè prædicatum, homo, nec causam inherentiæ prædicati, quod est humanitas; ergo illa propositio non est per se logicè, sed per accidens. Confirmatur, quia illa propositio logicè est per accidens, quando prædicatum, licet sit substantia, & consequenter non accidens prædicamẽtale, attamen non necessariò convenit subiecto, sed adesse, & abesse potest præter subiecti corruptionem; at sic se habet homo respectu Dei in ea propositione; ergo &c. Demum propositio per se præsertim in primo modo, & in materia naturali, est ità vera, ut nullo modo possit esse falsa; sed hæc propositio potest esse falsa, Deus est homo, si v. g. Verbum humanitatem non assumpsisset, vel modo jam dimitteret; ergo est in materia contingenti, seu libera in ordine ad divinam omnipotentiam.

289 Respondent Thomistæ cum Cajet. quod si Deus in ea propositione supponit absolutè, vel pro persona Divina, ut sic, non est per se, nec in materia necessaria, sed si supponit pro persona Verbi, quatenus subsistens est in natura humana, seù ut persona humana, tunc est per se, & in materia necessaria; quarè inquiunt argumenta concludere, ut Deus supponit pro persona Verbi, & Divina, non autem ut supponit pro persona humana, quia sub hac reduplicatione homo per se convenit Verbo. Sed hanc solutionem optimè revincit Bellutus *loc. cit.* quia sic nulla propositio esset per accidens, & in materia contingenti, sed quælibet esset per se, ac in materia necessaria, nam si paries v. g. considerẽtur, ut subest albedini, sub ista reduplicatione albedo illi convenit, & sic ista propositio, *paries est albus*, in hoc sensu esset per se, quia paries hic supponit, non præcisè pro sua entitate, sed ut subest albedini; & sic de aliis propositionibus accidentalibus dici posset, Consequens verò est falsum, nam propositio ista dicitur per accidens, eo quia albedo per accidens convenit parieti in se considerato, & quia subesse albedini per accidens convenit parieti. Tùm quia juxta hanc doctrinam illa propositio, Deus est homo, faceret hunc sensum, *Verbum, ut persona humana, est homo*; sed esse personam humanam in Verbo formaliter nil aliud dicit, quàm Verbum esse hominem; ergo à primo ad ultimum sensus illius propositionis esset *Verbum, ut homo, est homo*, quæ est nugatio.

Ex his patet, quale prædicatum sit *homo* in ea propositione, hoc est, an genericum, vel specificum, vel aliquid aliud ex quinque prædicabilibus, ejus enim prædicandi modus pertinet ad quintum prædicabile, ait Doctor, quia humanitas non est de essentia suppositi divini, nec differentia ipsius, nec proprietas, sed adest ipsi, itaut possit abesse, ergo homo prædicatur de Deo ad instar accidentis; melius tamen illa prædicatio dicitur substantialis, quam accidentalis, vel essentialis; nam sicut illa unio non est essentialis, nec accidentalis, sed substantialis, sic illa prædicatio quoque substantialis dici potest; unde inquit Doctor in solutione ad ultimum; quod aliquid participat hoc prædicatum de ratione speciei, & aliquid de ratione accidentis in ordine ad subiectum, quia ista natura temporaliter advenit Verbo perfecto in se æternaliter existenti: Neque id mirum esse debet, inquit Doctor §. 4. *videndum*, quia cùm nulla unio sit similis isti, propter quam prædicatio dicatur vera, nullum est prædicatum dictum de subiecto, sicut in proposito; quantum enim est ex parte ejus, quod prædicatur, est species tantùm, quia non est natum esse genus, nec differentia, nec proprium, nec accidens; sed quantum est ex parte modi se habendi respectu subiecti, quia non est de ratione subiecti, & advenit subiecto existenti in actu completo, itaut possit ab eo abesse, videtur similem habitudinem habere respectu subiecti, qualem habet illud prædicatum, quod dicitur accidens, quam doctrinam iam latè declaravimus *disp. 4. logic. qu. 5. n. 100.*

Sed Obiicies, ista propositio, Petrus est homo, est per se, & necessaria, quia Petrus est suppositum humanæ naturæ; sed Verbum est etiam suppositum humanæ naturæ, & Deus pro ipso, ut sic, supponit; ergo &c. Confirmatur, quia ista propositio, Deus est homo, est vera ratione unionis duarum naturarum in eodem supposito, sed neutra continguntur illi per accidens, sed per se: ergo est propositio necessaria, per se, & naturalis. Tandem, si illa propositio, Deus est homo, non est per se; ergo neque hæc *Christus est homo*, est per se, quod est falsum, quia Christus est consubstantialis nobis quoad humanitatem, eiusque perfectus, sicut quilibet homo: consequentia patet, quia Deus in illa propositione supponit pro Christo.

Resp. negando, Deum, ibi supponere pro persona humana, quia Verbum proprie non est persona humana, sed gerit vices illius, & ideo homo proprie & per se non convenit Verbo ut convenit Petro, sicut neq; hoc, quod est genere vices humani supposiri per se convenit Verbo: nec valet paritas de Petro & Verbo, quia homo dat Petro primum esse tanquam proprio individuo, & supposito, non sic Verbo. Ad Confirm. concludit illam esse propositionem per se metaphysicè loquendo, & quoad rem, non verò per se logicè, ut supra declaratum est. Ad ultimum negatur sequela cum ejus probatione, quia Deus propriè loquendo, & in rigore in illa propositione non supponit pro Christo, sed pro persona Verbi, siquidẽ Deus, & Christus nõ idem omnino significãt ut patet ex dictis, & adhuc magis constabit ex icendis art. seq.

Quintò Dubitatur, an hæc alia propositio *Homo est Deus* sit per se; quod enim hæc sit vera, & propria fatentur omnes, quia in ea natura divina de suo supposito prædicatur, pro quo homo supponit, sicut etiam eam prædicationem esse formalem, quia Deus à parte prædicati supponit pro natura divina non pro supposito Verbi; Thomistæ præterea affirmant esse per se; Scotus verò estò fateatur esse magis per se, quam sit precedens, quia hic natura divina de proprio supposito prædicatur, quod importatur per ly *Homo* à parte subiecti, de quo per se, & essentialiter dicitur, nihilominus quia ly *Homo* non dicit Verbum

bum absolutè sumptum, sed suppositum divinum, ut subsistans naturæ humanæ; cum hoc totum logice loquendo non sit in rigore per se unum; idèò ea propositio non erit in rigore, & secundum omnes partes per se, idest, tam ex parte subiecti, quàm ex parte prædicati; Quod autem totum illud non sit logice per se unum ostendit Doctor 3. *dist.6.q.1.* ad 1. quia unum advenit alteri iam completo in proprio esse, nec illud informat, omnem autem tale dicitur in rigore logico unum per accidens: addit tamen, quod licet natura humana adveniat Verbo in esse completo, neque illud informet, est tamen Verbo substantialiter unita, non accidentaliter; undè solùm dici potest unum per accidens logicè, & accidente prædicabili, non metaphysicè, & accidente prædicamentali; Sicut ergo conceptus, qui in se non est unus per se, de nullo uno per se enunciatur, ità nec aliquid per se unum enunciatur de ipso, ut inquit Doctor *dist.7.q.1.* E quare illa propositio erit huic similis, *Homo albus est coloratus*, ubi licet coloratum per se dicatur de albo, non tamen de homine albo, quia homo albus non est unum per se; sic inquam in proposito, licet Deus per se dicatur de Verbo, non tamen de Verbo homine, quia hoc totum non est per se unum logicè.

295 Respondent Thomistæ negando, aliquid non posse per se enunciari de aliquo non per se uno, alioquin sequeretur nullam prædicationem accidentis communis de inferioribus in terminis concretis esse per se, scilicet, *hoc album est coloratum*, quia subjectum non est per se unum. Sed est manifesta disparitas, quia album in allata propositione non est unum per accidens, siquidem non importat ex æquo subiectum; & formam, sed hanc de principali significato, illud verò de connotato, quod sufficit ad unitatem per se unius significati in rigore logico; at *homo* in propositione proposita ex æquo importat suppositum divinum in humana natura subsistens, seù suppositum humanum, quod non est unù per se in rigore logico; Tùm quia Scotus non asserit de homine sic sumpto in ea propositione, nihil penitus posse per se dici, sed inquit nihil de eo posse per se dici perfeitate subiecti, gratis concedendo posse aliquid de ipso per se dici perfeitate convenientiæ prædicati; undè Doctor absolutè non negat eam propositionem, *Homo est Deus*, esse per se, sed solum ex hoc, quod subiectum non est logicè unum, licet sit unum metaphyce.

296 Sed Obiicies, quando dicimus subiectum propositionis debere esse per se unum, ut de ipso aliud per se enuncietur, vel intelligitur ità, quod non sit ens per accidens, & sic utique verum est; at ly *homo* in ea propositione non est ens per accidens; Vel intelligitur, quod partes non debeant contingenter inter se uniri sed necessariò, & hoc est falsum, quia sic nec homo, nec ullum compositum physicum posset esse propositionis per se subiectum, quia partes scilicet materia, & forma contingenter uniuntur; ergo hæc conditio non est necessaria, ut propositio sit per se. Confirm. quia gratis dicitur, quod *homo* in ea propositione à parte subiecti ex æquo importet suppositum divinum in humana natura subsistens quod non est unum per se logicè loquendo; quia ut dictum est *disp.leg.q.6 art.1.* concretum, ut propositionem ingreditur, positum à parte subiecti regulariter significat subiectum, & connotat formam, sicut positum à parte prædicati dicit formam in recto, & connotat subjectum; hæc autem subordinatio in significando saluat unitatem per se conceptus etiam in rigore logico, ut ibi declaratum est.

295 Resp. quod licet *homo* in ea propositione non sit unum per accidens metaphysice, quia humanitas cum Verbo est unita substantialiter, non accidentaliter, adhuc tamen est unum per accidens logicè, tùm quia extremà non se habent, ut per se actus, & per se potentia, & unum advenit alteri in actu completo, tùm, quia ex æquo importat suppositum divinum cum natura humana, in qua subsistit. Ad Confirmationem, sic gulariter loquendo res ita se habeat, quod concretum in propositione à parte subiecti positum significat subiectum, & connotat formam, tamen potest interdum à prædicato determinari, ut alio modo suppoua; quandoque enim ità potest determinari, ut alio modo suppoua; quandoque enim ità potest determinari, ut formam significet, & connotet subiectum, ut cùm dicimus *album est per se disgregativum visus*; & quandoque ut ex æquo significet utrumque ut in proposito, cùm dicimus, quod *Homo est Deus*, cùm enim ità prædicatio fit quædam identitas, necessariò involui debet in sensu propositionis causa veritatis, quæ est unio hypostatica ad suppositum, ità quod æquè principaliter significetur Verbum cum unione ad humanitatem, quo sensu est unum per accidens logicè; Quod si ponatur *homo* in ea propositione ità supponere, ut in recto dicat divinum suppositum, & ratione unionis connotare naturam humana; tunc dicendum esset illam propositionem esse omninò per se etiam in rigore logico, nimirum tam perfeitate prædicati, quàm etiam subiecti.

ARTICULUS SECUNDUS.

Postrema, ac præcipua Dubitatio.

Sexto tandem Dubitatur, an istæ propositiones *Deus factus est homo*, & *Homo factus est Deus*, sint veræ & propriæ; et quidem prima propositio conceditur ab omnibus, ut vera, & propria, haberur enim expresse in Symbol. Niceno, & *homo factus est*, & Ioann. 1. & *Verbum Caro factum est*; ubi caro ponitur pro homine, ut passim explicant Patres; neque enim dicendum est Evangelia, & Concilia in præcipuo Fidei nostræ mysterio improprie loqui: Hoc idem probat Scotus 3. *dist.7.q.* 1. evidenti ratione; quia factio, quando significat secundum adiacens, dicit factionem simpliciter, ut si quis dicat, quod homo factus est, significat, quod homo simpliciter, & absolutè factus est; quando autem prædicat tertium adiacens, non significat factionem simpliciter, sed tantùm secundum illud, quod specificatur per tertium adiacens, ut si quis diceat, homo factus est albus, non significat hominem esse factum simpliciter, sive acquirere esse simpliciter, sed esse factum album, & acquirere tantùm albedinem, quod est fieri secundum quid; Sicut ergo verè de eo enunciatur fieri, quod ab aliquo faciente, post non esse simpliciter, accipit esse simpliciter, ità verè de eo enunciatur fieri A, quod per actionem alicuius agentis est A, postquam non fuit A. quod probat Doctor, quia factio passiva dicit tantum duo, scilicet, habitudinem rei factæ ad factiens, & ordinem ipsius rei factæ ad non esse præcedens eiusdem rei; his ergo duobus concurrentibus saluatur ratio factionis sive simpliciter, sivè talis, sed Deus per actionem alicuius factionis est homo, & non fuit semper homo, ergo verè, & propriè factus est homo, Undè in Incarnatione fuit factio activa, cui correspondet passio, sive factio passiva, quæ fuit unio naturæ ad Verbum, non enim natura humana per actionem Incarnationis facta est, sed in ea facta est Unio ad Verbum, ità quod natura humana fuit subiectum illius passionis, & ipsa sola in Incarnatione mutata est, non autem Verbum, & propter hanc passionem in humanitate factam, Deus dicitur factus homo per terminationem unionis fundatæ in humanitate.

297 Circa alteram propositionem verò, *Homo factus est Deus*, est maior controversia, Thomistæ namque, ac Recentiores passim asserunt esse falsam de rigore sermonis, & solùm esse veram, si ly *factus* explicetur impersonaliter, ut sensus sit, *factum est, ut homo sit Deus*, Scotus è contrà cum suis contendit esse veram etiam de rigore sermonis, quod probat in primis expressis Patrum testimoniis, qui eo modo, quo dicunt, Deum esse factum hominem, dicunt etiam e converso, quod homo factus est Deus, ità Augustin. 1. de Trinitate cap. 13. *Talis enim erat illa susceptio, quæ Deum hominem fecerat, & hominem Deum*. & Damascen. 3. de Fide cap. 11. *Eodem modo illud quoque dictum est, quod Deus homo factus sit, & homo Deus*: Ex quibus ipsis verbis reiicitur communis Adversariorum solutio has Patrum locutiones per verbum *factum* impersonaliter accepta explicari debere, si enim prima, *Deus factus est homo* absolutè prolata est vera, altera verò *Homo factus est Deus*, indiget illa explicatione, non rectè inter illas fieret à Patribus assumpta comparatio.

298 Deinde hoc etiam probat evidenti ratione, quia ut verè, & propriè dicatur homo factus Deus, sufficit quod mediante actione causæ efficientis contingat, ut sit Deus, cùm antè, & sine tali actione non esset Deus, sicut ut paries dicatur factus albus, sufficit quod mediante actione causæ efficientis fiat, ut sit albus, Undè ex eodem fundamento, quo communiter defenditur, illam esse veram, & propriam, *Deus factus est homo*, sequitur hanc quoque esse veram, & propriam *Homo factus est Deus* siquidem illam ex eo dicebamus esse veram, quia per actionem Trinitatis Deus factus est homo, cùm prius talis non esset, propter unionem hominis ad Deum, at per hanc unionem etiam homo fit Deus, quia in homine est factio passiva in ordine ad faciens, & in ordine ad esse post non esse, prius enim homo non erat unitus Deo, & per actionem Trinitatis unitur Deo, ergo in homine est factio passiva in ordine ad Deum sicut in illa, Petrus factus est albus, est factio passiva in Petro, non simpliciter, sed in ordine ad album. Confirmatur, quia in hac propositione, *Homo factus est Deus*, concurrunt omnia illa, quæ ad factionem de tertio adiacente postulantur, ordo nimirum humanitatis ad totam Trinitatem unione in hypostaticam in natura efficientem, & ordo eiusdem humanitatis, ut prioris natura ad ipsam unionem, & terminum factionis.

Respondent Thomistæ, ad factionem passivam requiri præsuppositionem subiecti, non tantùm naturæ, sed etiam temporis, ut fiat tale, quale prius non erat, & præterea requiri novitatem termini; quorum neutrum concurrit in casu quia nec homo præextitit unioni, neq; Deus est noviter factus. Ac hoc

totum gratis omninò dicitur, quæcunq; enim subiecti præcessio sivè temporis, sive naturæ sufficit ad factionem de tertio adiacente, inquit Doctor, rectè enim dicitur, corpus nunc factum est animatum, & tamen nec anima, nec corpus tempore animationem præcedunt, quia in eodem instanti, in quo perfectè organizatur corpus, creatur anima, & 2. Genes. rectè dicitur *factus est homo in animam viventem*, & tamen homo non præcessit, corpus; & si homo fuisset ab æterno productus, fuisset verè factus, & cum his, vel illis accidentibus, undè diceretur factus fuisse magnus, vel albus, & tamen nulla fuisset temporis præcessio ad hos terminos, idque eorum sine ulla mutatione contigisset, cujus ratio potissima est; quia factio passiva est omninò à mutatione distincta ex dictis in Phys. Gratis etiam omninò dicitur, quod ad factionem passivam de tertio adiacente requiratur novitas termini in se, quia si calor existeret separatus, & posteà uniretur aquæ, verè, & propriè diceretur, *aqua facta est calida*, quia verè, & propriè reciperet ab agente calorem; ergo idem in casu nostrò dicendum: Tùm quia terminus factionis de novo productus in præsenti est unio, non verò Deus, vel Verbum, quod solùm est terminus unionis.

300 Probatur Tertiò, quia hæc est vera, Deus est factus homo, ut omnes concedunt, ergo istà quoque erit vera, homo factus est Deus, consequentia probatur, quia illa convertitur in istam, nam Deus non est factus homo in communi, ut ibi homo se tenet specificè, sed factus est hic homo in particulari, quia assumpsit humanitatem in athomo, seù in individuo, ut ait Damascenus, quatenus univit sibi hanc naturam particularem in unione hypostatica; ergo propositio convertens hujus propositionis, *Deus factus est homo*, erit ista, *homo factus est Deus*, & ubi homo supponit non pro persona humana, sed pro natura singulari & sensus istius propositionis non est, quod hic homo particularis ità fiat Deus, ut ejus natura convertatur in Deitatem, sed est iste, quod hic homo factus est Deus manens homo per unionem quia facto, ut prædicat tertium adiacens, non significat factionem simpliciter, sed solùm factionem in ordine ad tertium adiacens.

301 Respondent Thomistæ, illam simplicem conversionem non valere, quia mutatur suppositio terminorum; debet autem sic fieri, Deus factus est homo: ergo is, cui factus est homo, est Deus; sicut in simili: Hic homo factus est Cæsar; ergo is, qui factus est Cæsar, est hic homo, non autem sic, ergo Cæsar factus est hic homo; hoc enim est falsum. Sed contrà, quia propositione per simplicem conversionem ità converti debent, ut sint de eisdem extremis transmutando tantùm prædicatum in subiectum, & subiectum in prædicatum, at in istis propositionibus, Deus factus est homo, & is, qui factus est homo, est Deus, non sunt idem termini pro subiecto, & prædicato, sed mutantur, quia in secunda propositione, *homo* neque est subiectum, neque prædicatum, at in his duabus Deus factus est homo, & homo factus est Deus, manet idem subiectum, & idem prædicatum, licet conversim ponantur, neque mutatur terminorum suppositio, quia *homo* in utraque supponit pro individuo naturæ humanæ, ut mox patebit. Ad exemplum adducitur rursus dico falsum esse, quod ista *qui factus est Cæsar, est hic homo*, sit conversa, vel convertens illius, *hic homo factus est Cæsar*, quia non sunt de eisdem terminis; in hac enim subiectum est *homo*, prædicatum est *Cæsar*, in altera, quam dicunt esse conversam, subiectum est ille terminus *is qui factus est Cæsar* constat enim aliud terminum esse ly *homo* & aliud ly *is, qui factus est Cæsar*. Est itaque dicendum re vera conversam illius *hic homo factus est Cæsar* esse hanc *Cæsar factus est hic homo*; quæ eatenus dici potest vera, quatenus verum est dicere, quod Imperator factus, seù creatus est hic homo, vel si non est vera in rigore logico, hoc idèò est, quia hic homo non fit per se; & substantialiter Cæsar, sed per accidens, ac purè denominativè; at cùm dicimus *Deus factus est homo*, est prædicatio substantialis, & per se metaphysice, & consequenter vera est etiam ejus conversa, *homo factus est Deus*.

302 Probatur Quarto destruendo præcipium Adversariorum fundamentum, quod in ista propositione, *homo factus est Deus*, ly *homo* non supponunt pro hac natura, seù pro individuo humanæ naturæ, sed pro supposito, & consequenter falsum esse quod suppositum hominis assumpti sit factum Deus, quia ab æterno fuit tale; Quamvis enim regulariter loquendo res ità se habeat, quod concretum à parte subiecti in propositione positum significat subiectum, & connotat formam; tamen à prædicato determinari potest, ut supponat pro individuo naturæ, sicut cùm dicimus *hoc album est disgregativum visus* ly album à tali prædicato ità determinatur, ut supponat pro individuo albedinis, seù pro hac albedine; & cùm dicimus *calidum est terminus calefactionis*, *est accidens* ly calidum ità à prædicato determinatur, ut supponat pro hoc calore, & pro forma caloris; Urgens, jam supra *num.292.* dictum esse, in ea propositione *homo est Deus* ly *homo* supponere pro supposito Verbi non pro individuo humano, & ratio erat, quia debet concerni unio hypostatica, quæ est fundamentum totius veritatis; ergo etiam in hac propositione *homo factus est Deus* ly homo supponet pro supposito, & sic propositio erit falsa. Sed est manifesta disparitas quia ut notat etiam P. Bellutus, in illa propositione *homo est Deus* Deus dicitur de homine per Verbum substantivum, & cum prædicatio ista sit quidam identitas, necessariò in sensu propositionis involvi debet causa ipsa veritatis, quæ est unio ad divinum suppositum; At in hac alia propositione *Homo factus est Deus* non prædicatur Deus absolutè de homine, sed potius facto ipsa passiva, idcircò potest homo supponere pro individuo humano, quia ad veritatem huius propositionis non prexigitur unio hypostatica, imò hæc unio per ipsam explicatur undè formari quoque potest per terminum abstractum dicendo *humanitas sit Deus* hoc est, *unitur Deo*, qua ratione inquit Doctor *dist.7.qu.2.* in fine communicationem idiomatum non fieri in prædicatis ipsam unionem hypostaticam exprimentibus.

303 Denique cùm dicunt Thomistæ illam propositionem, Homo factus est Deus, non posse proprè intelligi in hoc sensu, quod homo acquisivit esse divinum, seù naturam divinam per realem effectionem; sed tantùm improprè exponendo ly *factus* impersonaliter, ut sensus sit *Factum est, ut homo sit Deus*; Ex hoc eorum dicto sic arguere licet; ista factio, quæ explicatur per verbum impersonale, debet suum habere terminum, quia omnis factio aliquem terminum in esse ponit, seù effectum; & hic planè alius esse nequit, quam ipsa unio inter Deum, & hominem, at unio ista, ut est cum mutatione, est in homine, tanquam in subiecto, & non est in homine, ut supponit pro persona, quia hæc non subiectat unionem, sed prout supponit pro individuo humanæ naturæ, ergo sensus huius propositionis sic explicatæ cut hic, *in homine facta est unio*, *per quam homo est Deus* at hoc eodem modo sonat, & idem significatum reddit hæc propositio *Homo factus est Deus*; neque enim sensus est, quod homo sit simpliciter factus; sed quod facta est unio inter hominem, & Deum, per quam homo est Deus, itaut unio facta inter illa extrema sit causa, ut Deus sit homo, & homo Deus; ergo à primo ad ultimum est vera propriè, unimum in eo sensu, quod homo per unionem hypostaticam acquisivit esse divinum, seù divinam naturam per realem effectionem; Ex quo dilcurtu Sole clarius conspicitur eundem esse sensum duarum illarum propositionum Deus factus est homo, & homo factus est Deus, & eandem esse causam connexionis extremorum in utraque, atque ideò si prima est vera, & propria, ut Adversarii concedunt, talis quoque erit secunda. Undè miror, quod Rada *controv. 8. Artic. 6.* in re tam clara adeò facilè cesserit argumentis in oppositum, ut manum dederit Adversariis asserens probabiliter hanc secundam propositionem in rigore non verificari.

304 Accedit quamplures ex Adversariis, ut Arriagam, Amicum Lugum, & alios gratis concedere, quod si homo præcessisset in propria personalitate, & posteà fuisset assumptus à Verbo ea dimissa, cum veritate tunc dici posset, hominem factum esse Deum, quia ille idem homo manet, hoc est, idem individuum humanæ naturæ, quod erat prius, & antea non habebat esse divinum, & posteà acquisivit realiter tale prædicatum; & eadem humanitas prius terminata subsistentia propria, terminatur posteà subsistentia divina dimissa propria, sicut optimè dicitur *calidum factum est frigidum* eò quod idem subiectum aureà habens calorem jam habeat frigus; ergò licet non præcesserit in propria personalitate adhuc verè dicetur *homo factus est Deus*, quia etiam in hoc casu habetur idem subiectum unionis, nempe eadem humanitas; licet non præcesserit sub propria personalitate, quod harum ad rem refert, tùm quia natura non recipit unionem prout personalitatem, tùm quia quæcunque præcessio subiecti, sive tempore, sive naturâ sufficit ad factionem de tertio adiacente; ergo in eo casu vera esset propositio, quod homo factus est Deus, etiam vera erit in isto, cùm nulla sufficiens afferri possit disparitas.

305 In oppositum Primò urgent testimonia Patrum concedentium, quod *Deus factus est homo*, & negantium quod *homo factus est Deus*, ità conceptis verbis loquitur Cirillus Alexand. *lib. de Incarnatione c.11. Neque enim homo, ut quidam volunt, Deus est effectus unitus Verbo, sed Verbum ipsum carne assumpta homo factum mansit etiam Deus*. Alii etiam Patres, ut Damascenus 3. de fide *cap.2.* docent non debere dici hominem Deitate affectum esse, sed Deum humanitatem assumpsisse. Respondeo etiam Adversarios ipsos fateri hæc testimonia nobis non officere, nec contradicere aliis superius pro nobis adductis; nam Patres primo modo loquentes agunt contrà Eutichetem, & alios Hæreticos, qui volebant post Incarnationem humanam in Deitatem versam esse, & in hoc sensu negare hominem factum esse Deum, quia natura humana, & divina in Christo omninò distinctæ, ac impermixtæ manserunt: Alii verò Patres secundo modo loquentes agunt contrà alios Hæreticos asserentes hominem in proprio supposito subsistentem fuisse Deitate

affectum, secundum aliquam unionem accidentalem, idcoque ad explicandam unionem substantialē potius dicunt Deum assumpsisse humanitatem, quàm hominem fuisse Deitate affectum.

306 Secundo arguunt ratione, quia *homo* cùm sit subiectum in illa propositione, supponit pro persona, seù supposito humanæ naturæ; at humana natura in Christo non habet proprium suppositum, de quo verificari possit factum esse Deum, neque id verificari potest de suposito Verbi, quod ab æterno fuit tale; ergo &c. Conf. quia proprius sensus illius propositionis requirit ex parte subiecti aliquod suppositum, cui advenerit illud prædicatum Deus, at in Christo nullum est suppositum, cui de novo illud advenerit prædicatum, ergo in sensu proprio illa propositio verificari nequit. Tandem dici nequit, quod propositio verificetur respectu hujus hominis, abstrahendo naturam singularem à supposito, & persona, quoniam actiones sunt circà singularia determinata, undè ut hæc sit vera, quod aliquis homo factus est albus, requirit determinatam suppositionem, sive determinatum suppositum, & ideò non potest applicari huic homini abstrahendo à personalitate, seu supposito; tum quia individuum humanæ naturæ non dicitur homo, sed natura humana; hæc autem propriè non dicitur fieri Deus.

307 Respondeo negando majorem, ut constat ex dictis n. 301. Ad Conf. negatur pariter major ob eandem rationem. Ad ultimum negatur iterum major, ad probationem negatur, individum humanæ naturæ dici non posse hominem, & hunc hominem, si homo accipiatur, ut supponit positivè pro solo individuo humanæ naturæ actualiter existente, licet dici nequeat, ut homo supponit negativè pro hoc individuo existente per se, & solitariè; & quidem in eo sensu frequentissima est locutio apud Patres, sic August. lib. de Agone Christi c. 11. *Filius Dei hominem assumpsit*, & sic pariter loquitur 5. de Civit. Dei cap. 17. lib. 10. c. 20. similiter Conc. Tolet. 6. & 11. in Confessione fidei 1. & sic etiam loquitur Ecclesia in Hymno ab Aug. & Ambrosio compositò *Tu ad liberandum suscepturus hominem*. Et in rigore logico licet natura hæc, & singularis non sit homo quoad modum significandi, sicut neque hæc albedo quoad modum significandi est album; adhuc tamen in re significata conveniunt, & consequenter potest homo pro hac humanitate supponere, sicut album pro hac albedine. Negandum etiam est tanc humanitatem non fieri Deum modo jam explicato, quia vero, & propriè hæc humanitas est, quæ Deo unitur, nam ly *sit* in ea propositione nil aliud significat, quam istam unionem, cùm dicat factionem solùm de tertia adiaccare, undè de ipsa verè, & propriè dici potest; Et cùm dicitur, quod actiones sunt circà singularia determinatè, respondeo naturam illam esse singularem determinatè, licet non personaram, quia habet esse actualis existentiæ, licet non subsistentiæ; quare sicut potuit esse sic singularis terminus creationis, & generationis, quæ sunt veræ, & propriæ actiones, potuit etiam esse subiectum unionis passivæ incarnationis, uti de facto fuit, quod sufficit ad veritatem propositionis nostræ, nam hominem, vel humanitatem fieri Deum aliud non significat, quàm uniri Deo. Dices, ista propositione significatur Deum esse terminum effectionis activæ, quod est falsum. Negatur assumptum quia sicut in ea propositione *Deus factus est homo* terminus factionis activæ non intelligitur natura humana, sed unio, idem in ista propositione dicendum; tùm quia etiam Adversarji ipsi concedunt, quod si homo præcessisset in propria personalitate, & postea assumptus fuisset, verè Deus factus fuisset, & ramen Deus non fuisset terminus actionis, sed unio. Dices rursus, Homo de quo dicitur, quod sit factus Deus; est persona Verbi; non enim verificatur, hominem esse Deum, ratione naturæ humanæ, sed ratione sui suppositi; at non potest dici, quod Verbum sit factus Deus, quia est necessariò Deus sine dependentia ab act. one causæ efficientis, qua fieret Deus; ergo &c. Respondeo, distinguendo majorem, Verbum secundum se consideratum non potest dici, quod sit factus Deus, concedo; secundum quod habet naturam humanam, aut secundum quod est homo, nego.

308 Tertio arguit Rada, quando aliqui tribuitur fieri, non absolutè, sed cum aliqua determinatione, opus est, quod illud præexistat factioni, vel determinationi, saltem secundum naturam; Sed homo non præexistit nec natura, nec tempore et, quod est hominem fieri, vel esse Deum, quia licet humanitas prius fuerit ordine naturæ, quàm unita Verbo, tamen non prius fuit homo, quodest nomen suppositi, quàm fuerit hominem esse Deum, sed simul; ergo ista est falsa, *homo factus est Deus* in rigore sermonis. Confirmatur: omnis propositio vera de præterito fuit aliquando vera de præsenti; sed ista, homo factus est Deus, est de præterito, cui correspondet ista, *homo fit Deus*, tanquàm de præsenti, & ista nunquam fuit vera; ergo neque alia de præterito, *homo factus est Deus &c.*

Respondeo negando minorem; ad probationem rursus nego, quod homo sit necessariò nomen suppositi, quia licet homo concernat suppositum, tamen in propositione à predicato determinari potest, ut supponat pro individuo naturæ humanæ, ut constat ex dictis. Ad Confirmationem nego minorem, quod ista non fuerit unquam vera de præsenti, *homo fit Deus*, in eo enim instanci vera fuit, quando humanitas conjuncta est divinitati in eodem supposito; At instar Rada, quod hæc *homo fit Deus* nunquam vera fuerit, quia *homo* est nomen suppositi, sed nullum suppositum factum est Deus quia non est ibi nisi unicum suppositum divinum, quod semper, & ab æterno fuit Deus. Sed jam negatum est assumptum.

Quartò arguit Arriaga, quando ponitur ex parte subiecti 309
terminus aliquis includens totum, quod dicit predicatum, non potest rectè affirmari; factum esse illud predicatum, quia nihil fit ipsum, quod est; undè non potest dici *Hoc album est factum Petrus*, quia jam in albo includitur Petrus; e contrà verò optimè dicitur *Petrus est factus albus*, quia Petrus sub hoc conceptu non includit albedinem; sed *homo* in ea propositione positus pro subiecto includit prædicatum illud Deus, quia supponit pro Verbo, quod est essentialiter Deus; ergo &c. Respondeo negando minorem, quia *homo* in ea propositione, licet connotet suppositum, de principali tamen significato dicit individuum humanæ naturæ, quod Deitatem non includit; & veritas propositionis attenditur penes principale significatum, non verò connotatum, ut cùm dicimus album esse disgregativum visus, vel calidum esse terminum calefactionis. Accedit, jam supra non semel dictum esse, in ea propositione non prædicari Deum absolutè de homine, sed potius factionem passivam, & ideò homo supponit pro individuo naturæ humanæ, quod propriè fuit subiectum unionis, non autem Verbum.

ARTICULUS TERTIUS.

Examinantur propositiones de Christo formatæ sub nomine proprio.

PRimà Difficultas est, an hæ propositiones sint per se, & es- 310
sentiales, an potius per accidens, ac denominativè *Christus est Deus, Christus est Homo*. Vulpes *disp. 18. art. 4.* concedit primam propositionem esse essentialem, per se, & quidditativam; secundam verò aut non esse per se, & essentialem, sed per accidens logice, ac denominativam, sicut hæc alia, *Verbum vel Deus est homo*. Differunt enim inquit, duæ illę propositiones, nam in illa priori prædicatum essentialiter constituit subiectum, in ista verò non; in illa prædicatum dicit primum esse subiecti, in ista non; ergo illa est prædicatio per se essentialis univoce in primo modo, sicut definitio definito, non ista, quæ est dunaxat denominativè univoca, non per se essentialis univoce, quia Christus non habet conceptum per se unum, sicut nec in re est ens per se unum, siquidem includit duas naturas per se unum non componentes; At de subiecto non per se uno à parte rei, nec habente conceptum per se unum nihil essentialiter per se prædicatur univoce ex 5. Metaph. ergo &c. quem dicendi modum contendit esse de mente Scoti 3. *dist. 7. qu.*

Verum communis opinio, & Scotus ipse *loc. cit.* oppositum 311
docet, illas propositiones esse essentiales, quidditativas, & per se; & plane tarum vertit discrimen inter has propositiones, *Deus est homo*, & *Christus est homo* ut dictum est supra *num.* 286. primam utique ait Doctor esse denominativam, & ly *homo* esse prædicatum tantùm univocum, non verò univoce dictum, cujus rationem assignat, quia non est de ratione subiecti, & advenit subiecto in esse completo existenti, itaque potest ab eo abesse, & consequenter univoce non prædicatur juxta discrimen, quod ibi assignat inter esse prædicatum univocum, & prædicari univocè; at in altera propositione: *Christus est homo* ly *homo* non advenit Christo reduplicativè, ut Christus est, tanquam in actu completo constituto, quia secundum Damascenum, inquit Doctor, Christus est nomen hypostasis duarum naturarum existens significativum, seu est suppositum in duabus naturis subsistens, & consequenter utramque includit naturam in suo conceptu, qualiscunque ille sit, unde in fine illius 5. *Quintò videndum est*, concludit, quod hæc propositio *Christus est homo* non est omninò per accidens, quia subiectum includit prædicatum, ex quo de eius mente infertur, hominem univoce de Christo prædicari, & de nobis; non ergo negavit hanc propositionem esse per se, & quidditativam, sed tolum dixit hanc propositionem non esse omninò per se, quia subiectum non est unum per se logice loquendo; Quod quidem dictum æquè procedit de prima propositione, ac de secunda, quia Christus in utraque importat suppositum subsistens in duabus naturis, quod nequit dici unum logicè, sed tantum metaphysice; quare non bene ex hoc capite Vulpes deducit secundam propositionem esse per accidens, cum æque probet de prima; & concludit tantum non esse per se, perfectate subiecti, cum

quo stat adhuc, quod ambæ sint per se perfectatæ convenientiæ prædicati cum subiecto. Neque etiam valet discrimen à Vulpio assignatum inter illas propositiones, quia loquendo de Christo reduplicativè, non autem, ut supponit tantùm pro supposito Verbi, utramque naturam adæquatè includit; & licet Deus sit forma totius divini suppositi, nihilominus respectu Christi, ut sic non est adæquata forma, quia Christus non ex divinitate tantùm, sed etiam ex humanitate adæquatè constituitur ineffabili modo; quare ad consequenter loquendum utraque illa propositio dici debet per se, & quidditativa, ac essentialis, quia utrumque prædicatum tam scilicet, Deus, quàm homo includuntur quidditativè in subiecto, nempè Christo, quod est suppositum in duabus naturis subsistens, & utramque simul significat.

312 Secunda Difficultas est, an propositio *Christus incepit esse* absolutè prolata sit vera, & de rigore sermonis concedenda, quæ quidem quæstio est purè de nomine, & modo loquendi, cùm inter catholicos constet Christum utramque includere naturam divinam, & humanam, quarum prima est æterna, secunda temporalis; undè non quæritur, an Christus incæpisse dicatur secundum naturam divinam, vel ut divinum suppositum, id enim constat esse omninò falsum; sed cùm incæperit secundum naturam humanam quæritur utrum absolutè, & sine addito possit de ipso enunciari, quod incæperit; sicut homo, ut Petrus, absolutè sanari dicitur, quia chorax sanatur ex 5. Phys. 1. In qua quæstione tres sunt opiniones. Prima est D. Thomæ 3. *part. quæst. 16. art. 9.* affirmantis præfatam propositionem in rigore sermonis esse falsam. Secunda est Durandi 3. *dist. 12. quæst. 1.* & aliorum dicentium illam esse ambiguam, ac proinde distinguendam. Tertia est Scoti 3. *dist. 11. quæst. 3.* asserentis in rigore sermonis illam esse veram, negari tamen à Sanctis, ne cum Hæreticis etiam in Verbis conveniant, & sequuntur Scotistæ passim, excepto Vulpio, qui nescio quo fundamento Doctorem citet pro opposita opinione, cùm neque problematicè procedat in hac quæstione, sicut fecerat in præcedenti circà aliam propositionem mox examinandam, an Christus possit dici creatura; sed apertè stet pro opinione affirmativa, ut clarissimè liquet ex ipso textu.

313 Dicendum est hanc propositionem absolutè prolatam *Christus incepit esse* de rigore sermonis esse veram, & concedendam, licet ab ea sit abstinendum, ne cum Hæreticis etiam in verbis conveniamus. Hanc probat Doctor, quia sic plures Patres absolutè loquuntur, sic August. *tract. 10. in Ioan. antequam mundus fieret, nos eramus nec ipso Mediatore Christus.* Fulgentius lib. de Incarnat. one c. 10. *Verbum incepit esse Christus, Verbum tamen mansit æternum, & caro in ipso sumpsit initium.* Nazianzenus orat. 35. inquit, Christum esse factum, Leo Papa serm. 3. Pontec. vocat Christum temporalem, quæ omnia indicant veritatem hujus propositionis absolutè prolatæ. Ratio est, quia proprietates creaturæ dicuntur de Christo ratione humanæ naturæ per communicationem idiomatum, ut esse finitum, passibilem, mortalem &c. sicut constat ex dictis; ergo idem iudicium faciendum est de hac propositione *Christus incepit esse*, cùm hæc quoque sit proprietas humanæ naturæ, licet enim non incæperit secundum divinam naturam, tamen quia incæpit secundum naturam humanam, ob id dici poterit absolutè, & sine addito incæpisse, quemadmodum absolutè loquendo Christus dicitur mortalis, & passibilis ratione naturæ humanæ, quàm vis sit impassibilis, & immortalis ratione divinæ. Confirmatur quia licet terminus, vel concretum à parte subiecti positum & materialiter pro supposito & non formaliter pro natura quia aliquid potest verificari de ipso non ratione naturæ per terminum concretum importatæ; per hoc tamen non excluditur, quin interdum ratione naturæ per ipsum importate possint sibi multa convenire; ut dictum est n. 295. ergo sicut alia multa prædicata conveniunt Christo ratione humanæ naturæ; ità & incipere esse significatur et convenire ratione eiusdem naturę humanę per ipsum importatę. Quod etiam probari potest ad hominem, quia secundum Thomistas in hac propositione *Deus est homo*, subiectum determinatur à prædicato, ut stet pro supposito, quatenus substat humanitati, ut illa propositio sit per se, ut constat ex dictis *numero* 289. ergo multò magis in hac propositione *Christus incepit esse* tratetur subiectum per prædicatum, ut stet pro supposito, quatenus humanitati substat; Consequentia patet quia illa propositio magis est aliena ab illo termino *Deus*, qui nullo modo includit humanitatem, quam ab hoc termino *Christus* qui illam includit; Et eodem modo posset concedi illa propositio, *iste homo incepit esse*, de subiecto demonstrante suppositum non nudè, quia non ut subsistit in natura divina, sed ut in natura humana, verum est enunciare incepcionem simpliciter illius subiecti.

314 Deindè eodem modo videtur enunciari de Christo hoc prædicatum *incipit esse* ac illud *genitus est*, & productus generatione temporali ex matre Virgine, quia talis quoque generatio temporalis includit incæptionem in esse; Sed hoc prædicatum *genitus est*, vel productus generatione temporalia dicitur absolutè de Christo, & verè, quia intelligitur de humano esse; ergo idem dicendum erit de hoc prædicato *incipit esse*. Sit etiam pariter eodem modo de subiecto dicitur hoc predicatum *incipit esse*, ac istud *desinit esse* quia illud esse, quod primum ponit, secundum destruit; at hoc prædicatum *desinit esse* dicitur absolutè de Christo, & verè, quia cùm dicitur Christus est mortuus, intelligitur, quod esse humanum amiserit; ergò à pari hoc prædicatum *incipit esse* poterit de Christo verificari simpliciter, & absolutè, quia intelligendum est de humano esse.

Respondet negando paritatem, quia generari non est incipe- 315
re esse, sed accipere de novo aliquod esse in tempore ratione cujus dicitur absolutè generari Christus, & Filius Dei; sic etiam dicunt non esse idem, *Christus mortuus est*, & *Christus desinit esse* nam prima propositio est vera, & facit hunc sensum Christus amisit aliquod esse substantiale, altera verò est falsa, quia illud dicitur definire esse, quod omninò desinit, sicut illud dicitur incipere, quod omninò incipit, patet autem Christum nec omninò in generatione, vel nativitate incepisse, nec omninò in morte desisse. Sed contra, quia illud absolutè dicitur incipere esse, quod secundum esse totale incipit esse, licet secundum nullum esse partiale incipiat esse, ut si post Petri interitum anima, & corpus eius denuò reuniantur rectè, & absolutè diceretur Petrus incipere; è contra rectè dicitur aliquo absolutè desinere si secundum esse totale desinit, estò secundum nullum esse partiale desinat esse, sic quando Petrus moritur absolutè dicitur desinere esse quamvis remaneant corpus, & anima separata; Sed Christus totum quoddam est substantiale, imò, verè, & propriè compositum ex humanitate, atque divinitate maximè in Adversariorum sententia; ergo non solùm secundum humanitatem, sed etiam secundum totalitatem suam incæpit esse in generatione, & conceptu, & desiit esse in morte, ac interitu; quia hoc esse totale nec antè conceptionem, neque in triduo fuit; ergo maximè propriè Christus incipere dicetur, ac desinere, quia Christus proprie, & formaliter pro toto isto supponit, ut digne urget Bellutus *disp. 5. quæst. 4. art. 2.* & hæc rationes sufficiant pro quæstione purè nominali, ac de modo loquendi; videantur aliæ satis claræ apud Scotum ipsum, & Scotistas *loc. cit.*

Sed obiiciunt Primò ex Scripturis, & Patribus, nam Io. 8. ha- 316
betur, *antequam Abraham fieret ego sum*, & ad Hæbr. 13. *Iesus Christus heri, hodie, & in sæcula* ergo si semper fuit, nunquam esse incipit. Deindè ratione, quia si incipere esse competeret Christo, aut competeret ratione suppositi, aut ratione naturæ, non primum, quia illud semper fuit, & nunquam esse incepit; nec ratione humanæ naturæ, quia terminus à parte subiecti positus non tenetur formaliter pro natura, sed magis materialiter pro supposito, & ideò ratione naturæ humanæ non potest competere Christo incipere esse, quàm vis nomine Christi, vel hominis importetur natura humana, quia quando talia nomina ponuntur ex parte subiecti, non stant pro natura, sed pro supposito. Rursus quia illa locutio denotat personam Christi incepisse, cùm tamen sit æternà, quod hoc exemplo declaratur, licet enim de homine, qui iàm habebat esse, & modo calefit verissimè dicatur *hic homo incipit esse calidus*, non tamen verè dicitur *hic homo incipit esse*, quia hæc posterior locutio denotat hominem incepisse simpliciter quoad ipsum suppositum, ergo licet verè dicatur de Christo, quod incepit esse homo, non tamen absolutè, quæ incæpit esse, quia denotaretur ipsum divinum suppositum incepisse. Tandem, de Christo dicitur simpliciter, quod sit æternus; ergo nequit de ipso simpliciter dici, quod incæperit esse, alioquin contradictoria de ipso verificarentur.

Respondetur, testimonia illa intelligi debere de Christo, 317
ut Deo, seù secundum esse divinum, quo pacto intelligendi sunt Patres, cùm docent Christum semper fuisse. Ad 2. dico, quod quando de Christo enunciantur prædicata naturæ humanæ subiectum determinatur à prædicato, ut stet pro supposito, quatenus humanitati substat, sicut cum dicimus, Christus est mortuus; undè ratione humanæ naturæ competit Christo incipere esse, itaquod illud suppositum æternum non absolutè, & nudè sumptum, sed unà natura humana subsistens dicitur incæpisse; Ad 3. negatur assumptum, ad probationem dico exemplum esse absimile, quia esse calidum est esse accidentale huic homini at esse humanum est esse simpliciter Christo; sicut igitur, quia Christus secundum humanitatem est mortuus, verum est simpliciter, & absolutè, quod Christus est mortuus; ità quia secundum humanitatem incæpit esse, verè erit simpliciter dicere Christus incæpit esse; itaquod si hoc prædicatum possit verè enunciari de hoc subiecto ratione illius partis subiecti, videtur quod simpliciter possit enunciari de eo. Ad ultimum, si concluderet, sequeretur pariter Christum non posse dici genitum temporaliter, nec mortuum, quia dicitur de ipso simpliciter immortalis, & genitus ab æterno, negatur, itaque consequentia cum eius probatione, incipere enim esse, & non incipere

esse non contradicunt, nisi respectu eiusdem esse, quo pacto non dicuntur de Christo, de quo dicitur incipere secundum esse humanum, non incipere verò secundum esse divinum.

318 Tertia difficultas est, an hæc propositio *Christus est creatura* absolutè prolata sit vera, & de rigore sermonis concedenda, quæ pariter quæstio est pure nominalis, & de sola modo loquendi, nâ de re ipsa constat Christum quoad personalitatem Verbi, & naturam divinam nullo modo esse creatum & è contrà constat naturam humanam esse creatam; Notat verò Scotus 3 *dist.* 11. *q.* 1. ubi hanc tractat quæstionem, verbum *creari* posse dupliciter accipi, primò strictè, propriè, & simpliciter, quo modo dicitur tantùm de eo, quod à primo efficiente immediatè, post omninò non esse, sivè post purum nihil accipit esse, & secundùm hanc acceptionem ait certum esse Christum creaturam dici non posse, non quidem ratione Verbi, vel divinitatis, ut de se perspicuum est; nec etiam ratione humanitatis, nam ipsa non à solo primo efficiente immediatè, nempè cùm exclusione causæ secundæ, & efficientis, & materialis producta fuit, sed cooperata est mater, quę aliquam respectu humanitatis causalitatem habuit. Alio modo accipitur creatio latioris & communiori vocabulo, quo pacto nomen creaturę significat quamcunque rem in tempore productam, etiam interveniente concursu causæ secundæ, & respectu ad non esse precedens, sivè positivum, sivè privativum, quo pacto omne ens extrà Deum creatura dicitur, & in hoc sensu quęritur an Christus dici possit creatura. Thomistæ passim affirmant Scotistę communiter negant, eo quia licet Scotus in hac quæst. problematicè procedat, videtur nihilominus in partem negativam magis inclinare, eo quia tam q. 1. quàm 2. totus esse videtur in ostendenda improbabilitate illius propositionis; Adhuc tamen non desunt Scotistę oppositam partem defendentes, ut potè conformiorem doctrinæ quam tradit posteà Doctor in q. 3. eiusdem *dist.* ità P. Bellutus Collegamens *disp.* 5. *q.* 4. *art.* 2. Poncius *disp.* 40. *quæst.* 1. & alii, quibus libenter subscribo.

ARTICULUS QUARTUS.

Resolutio tertiæ difficultatis, & aliarum.

319 Dicendum igitur est prędictam propositionem absolutè prolatam esse veram, & in rigore sermonis concedendam licet propter periculum æquivocationis, & erroris Arriani non sit usurpanda, ne habeamus verba communia cum illis, qui Christum dicebant creaturam, ad significandum ipsum etiam Verbum, secundum quod Verbum est, esse creaturam. Hæc, inquam, assertio conformior est doctrinæ, quam habet Scotus *dist.* 11. *cit. q.* 3. ubi lit. C. distinguens sensum illius propositionis *Christus incepit esse* ait posse intelligi, vel de primo esse, vel de quocunque esse simpliciter, & inquit, quod si primo modo, ista propositio est falsa, sicut illa *Christus est creatura* ex quibus verbis benè deducit Bellutus idem iudicium faciendum esse de mente Scoti utriusque propositionis, & ideò cum ista *Christus incipit esse* de rigore sermonis, & absolutè prolata in sententia Doctoris sit vera, ut constat ex dictis, etiam hæc alia *Christus est creatura* erit vera. Et cùm Doctor in fine illius 3. *q.* det regulam generalem, quod de Christo ratione duarum naturarum dicuntur proprietates utriusque naturæ, & ità ratione naturæ divinæ, & humanæ potuit simpliciter incipere, & non incipere esse, idem dicendum erit in proposito, quod ratione unius, vel alterius naturæ poterit Christus absolutè, & simpliciter dici Creator, vel Creatura; nam ab hoc, vel illo prædicato determinabitur subiectum *Christus* ad standum pro supposito, vel nude sumpto, vel prout subsistat natura humanæ iuxtà regulas suprà traditas *num.* 205. & 313. Neque audiendi sunt Lichetus, Arenius, Rada, & quidam alii Scotistę, qui ex quibusdam Scoti verbis etiam dubitative prolatis *dist.* 11. *quæst.* 3. B. quod non possit subiectum, *Christus* magis arctari respectu huius prædicati *incepit esse*, quam respectu alterius, regulam universalem deducunt, nullum prædicatum posse determinare subiectũ; quàm enim perperà hæc regula universalis ex aliquo prædicato particulari, quod subiectum coarctare non poteit, colligatur, satis patet ex dictis de significatione concretorum à parte subiecti *disp. log. quæst.* 6. *art.* 2. & ex ipso Doctore 3 *dist.* 6. *quæst.* 2. *ad* 2. & *dist.* 11. *quæst.* 2. in corpore, ac etiam in ipsamet *quæst.* 3. infrà C. dum inquit posse concedi propositionem istam *Hic homo incepit esse* de subiecto demostrante suppositum, non tamen nude, quia non in natura divina, sed in natura humana verum est enunciare incæptionem simpliciter illius subiecti; & idem docet in fine quæstionis per regulam modo traditam, quod ratione humanæ, vel divinæ naturę potest de supposito Christi absolutè enuntiari, quod potuit simpliciter incipere, vel non incipere esse.

320 Probatur autem sic declarata conclusio expressis Patrum testimoniis, qui Christum absolute creaturam appellarunt, sic Leo Papa serm. 3. Pent. *si homo legem Dei servasset, Creator hominũ creaturam non fieret* & Nazianzenus orat. 34. *ò novam missionem, & admirandam temperationem, qui est, si, & qui non est creatur creatur*, & Aug. in Enchirid. *c.* 38 *illam creaturam, quam Virgo concepit*, & Hieron. in ep. ad Ephes. *c.* 2. *multi timore trepidant ne Christum creaturam dicere compellantur, nos autem liberè prædicamus, non esse periculum cum dicere creaturam, quem vermem, & hominem, & crucifixum confitemur.* Et ratio est, quia omnia prædicata, quę de natura humana dicuntur, tribuuntur Christo ex vi unionis, nisi adsit aliqua specialis repugnantia; sed hoc prędicatum dicitur de natura humana à Verbo assumpta, nec adest implicantia manifesta, ut costabit ex solutione obiectionum. Et rursus prædicata proprii naturę tribuuntur eidem in concreto, seù supposito, nisi obiter aliqua, specialis ratio, undè ut dicebat Hieronimus, quia humanitas Christi fuit crucifixa, dicitur Christus crucifixus, licet personalitas Christi secundum se non fuerit crucifixa; cùm ergo humanitas Christi fuerit creata, consequens est, quod Christus etiam in concreto possit in rigore dici creatura, Denique hæc conclusio sequitur necessariò ex præcedenti, nam necessariò sequitur, Christus incipit esse; ergo Christus est creatura, nam omnis creatura de facto aliquando non fuit, & aliquando incepit esse.

Respondet Faber disp 26. in fine, quod valeret hæc consequentia, si accideremus hunc terminum *incepit esse* secundum incæptionem totalem, & secundum esse principale Christi, sed accipiendo incæptionę, pro principiatione quoad esse simpliciter, licet non principale, quo tantùm sensu Scotus ad mittit Christum incæpisse, non sequitur Christum esse creaturam & sic passim respondent alii Scotistæ; Hæc tamen solutio non satisfacit, quia ad rationem creaturæ absolutè loquendo sufficit, quod aliquando non fuerit, vel aliquando incęperit esse secundum illam naturã; secundum quàm dicitur creatura, licet quoad alia nunquam inperit esse, sed semper fuerit. Neque accipere primum esse totale, aut primum esse partiale est de ratione creaturæ, ut sic, sed sufficit, quod accipiat aliquod esse simpliciter post non esse, & tale in Christo fuit esse humanum; Tùm quia Christus Scotum 3. *dist.* 6. *q.* 2. est unum per se, ut constat ex dictis *disp.* 1. *q.* 2. quamvis non resuler per veram compositionem: ergo habet suo modo esse totale, & unum, non ab æterno, sed in tempore in quo facta fuit unio duarum naturarum in eodem divino supposito; ergo saltem secundum istud esse totale dici poterit incępisse.

In oppositum Primò urgent, plura SS. Patrum testimonia negantium Christum esse creaturam. Deinde urgent argumentum toties, & ad nauseam usque repetitum, quod Christus ex parte subiecti supponit pro supposito, sed suppositum Christi nequit dici creatura, ergo &c. Denum, quia creatura in sua ratione formali includit esse ens dependens, finitum, limitatum, participatum, ergo nequit de Christo enunciari quia intrinsece talia prędicata de Christo enunciarentur ratione personæ, & suppositi divini, quod implicat.

Respondeo, Adversarios quoque ipsos fateri, in alio sensu Patres negasse, Christum esse creaturam, ab eo, quo hic loquimur; nam aliqui loquuntur contra Nestorium asserentem Christum esse puram creaturam, & solum accidentaliter Verbo unitum per affectum, & gratiam; à fu loquuntur de Christo, ut Deo, contrà Arrium asserentem Christum secundum totum suum esse dici debere creaturam, imò & ipsum Verbum qua de causa dixi in statuêda conclusione cum Doctore propter periculum æquivocationis, & erroris Arriani locutionem illam non esse usurpandam, ne cum Hæreticis etiam in verbis communicemus. Ad 2. dico idem argumentum fieri posse contra alia idiomata Christo convenientia propter humanitatem; ut Christus supponit pro supposito, sed suppositum divinum mori non potest, ergo nec Christus dici potest mortuus; unde quemadmodum dicitur Christus mori, sic posset accipi illa propositio, *Christus est creatura*; & eodem modo explicari, itaut hunc sensum reddat, suppositum divinum, quod est unitum humanitati, ratione illius dicitur creatura, & mori. Ad 3. fi argumentum valeret, neque homo de Christo dici posset, quia homo etiam in sua ratione formali omnia illa prædicata includit, siquidem è essentialiter est ens finitum, limitatum, dependens, & participatum; sequeretur etiam non posse dici crucifixum, passum, & mortuum, quia ad hoc omnia quoque illa prædicata sequuntur, quapropter concedendum est omnia illa prædicata de Christo enunciari posse intrinsecę ratione humanę naturæ: ac etiam de ipsa Christi persona denominative per idiomatum communicationem.

323 Secundò arguunt, quia communicatio idiomatum non fit in his prædicatis, in quibus est repugnantia proprietatis unius naturæ ad aliam naturam, sed natura includit incæptionem in esse, & hæc repugnat æternitati; quæ est proprietas Filii Dei pro quo Christus supponit, ergo &c. Deinde hinc sequeretur etiam Verbum esse creaturam, quod est Arrianum, cequela patet hoc Syllogismo, Christus est creatura, Christus est Verbum, ergo Verbum est creatura; Tandem creatura est, quæ secundum totum suum esse pender à Deo; Christus autem non pendet secundum totum suum esse à Deo; ergo &c.

Respondet Doctor ipse, argumentum non concludere, quia æternitati Christi tam repugnat incipere, quàm desinere esse, utrunque enim involuit carentiam esse, hoc quidem in ratione termini ad quem, illud verò in ratione termini à quo, & consequenter carentiam æternitatis; & tamen hoc non obstante verè dicitur, Christus est mortuus, Deus est mortuus, quare etiam dici poterit, Christus est creatura, & tunc Christus non supponet pro supposito, sed pro individuo humanæ naturæ; Vel si pro persona supponit, Verbum creatura dici poterit per Idiomatum communicationem, quo pacto etiam dicitur homo. Ad 2. negatur consequentia; ad probationem dicitur, sillogismum illum esse in quatuor terminis, siquidem aliter in majori supponit, & aliter in minori; licet etiam in rigore loquendo possit illa propositio bonum habere sensum, nam quamvis Verbum secundum se non sit creatura, adhuc tamen, ut denominatur homo per Idiomatum communicationem, potest quoq; creatura denominari. Ad 3. dico, quod ut Christus creatura dicatur, sufficit quod à Deo dependeat secundum totum esse naturæ humanæ, quod est esse simpliciter, nam Christum esse creaturam, est habere naturam quandam à Deo dependentem secundum totum suum esse.

324 Dices, Æthiops licet albus secundum dentes, non tamen ex hoc inferre valet, quod fi simpliciter albus ergo licet humanitas Christi sit creatura, non valet ex hoc inferre quod Christus sit creatura. Respondeo negando paritatem, quia esse album absolutè non dicitur de aliquo, nisi sit album secundum aliquam partem principalem, imò & secundum plures partes, ut ait Doctor *dist.* 11. *qu.* 2. ar humanitas in Christo est pars principalis, liber non principalior, quia hæc est divinitas; & cùm sit natura integra, & completa, verè poterit Christus dici creatura ratione humanitatis; Imò potest retorqueri argumentum, quia esse album dicitur de supposito creato, & non dicitur de divino, ut abstrahit à natura creata; & tamen potest dici de Christo, quod sit albus, quia corpus ejus est album; ergo quàm vis esse creaturam non diceretur de ipso secundum se, posset tamen dici de ipso ratione humanæ naturæ, quam includit.

325 Tertiò arguit ipse Doctor loco citato pro hac problematis parte, illud dicitur propriè creari, vel creatura, quod à Deo accipit primum esse post non esse, hoc autem, primum esse est duplex, vel totale, & adæquatum, ut est tertia entitas ex partibus resultans, vel esse partiale primæ partis, seù principalis illius totius; Sed Christus nullo horum modorum accepit esse post non esse, non quidem esse primum primitate totalitatis, eo quod ex natura, & Verbo non resultat aliquod tertium, quia naturæ remanserunt impermixtæ, neque accepit primum esse partiale, ut est esse Verbi, quia hoc est æternum, ergo &c. Deinde aliam rationem subdit, illud denominativum, quod natum est denominare multa, ut totum, & partes, accidens, & subiectum, non denominat totum per partem, nec subiectum per accidens, sed indifferenter utrumque denominat, & non unum ratione alterius, ut, verbi gratia, quia *unum* natum est denominare subiectum, & accidens, non denominat subiectum per accidens, sivè medio accidegere; non enim Petrus dicitur unus unitate accidentis, ut albedinis, ità quod si albedo est una, Petrus sit unus, & si albedines plures, Petrus sit plures; At creatura est quoddam denominativum, quod generaliter natum est denominare tam suppositum, quàm naturam; ergò non denominabit suppositum per naturam, nisi supposito conveniat sub propria ratione; sed esse creaturam repugnat omninò supposito Christi; ergo quamvis conveniat naturæ, non tamen poterit de supposito dici ratione naturæ. Ex qua ratione deducit Doctor, quarè Christus dicitur genitus temporaliter; non verò creatura, quia nempè generari denominat naturam, & mediante natura natum est denominare suppositum; at creatura nata est denominare utrumque propria denominatione, & ità neutrum est ibi ratio, *qua*, respectu alterius. Denique Doctor *dist.* 11. *quæst.* 2. ex instituto probat hanc propositionem non esse veram, Christus inquantùm homo, est creatura, accipiendo ly *inquantum* reduplicativè; ergo illa propositio neque ratione humanæ naturæ verificari potest de mente Scoti.

326 Respondeo, rationes hujusmodi fuisse à Scoto adductas, ut probabiles, non verò, ut necessarias, quod quidem de prima constat, fallsum enim est in primis, quod sit de ratione creaturæ, ut accipiat esse post non esse, loquendo de ordine temporis, vel naturæ positivo, quia Scotus ipse concedit dari posse creaturam ab æterno 2. *dist.* 1. *qu.* 3. Et quando concederetur ordinem istum esse de ratione creaturæ, adhuc gratis omninò dicitur esse de ratione creaturæ, quod accipiat primum esse totale, vel primum esse partiale; sufficit enim, quod accipiat aliquod esse simpliciter post non esse, ratione alicuius partis, & tale fuit esse humanum in Christo, qui etiam dici potest accepisse primum esse totale, & adequatum, quod improbat in ratione suppositi in utraque natura subsistentis, hoc enim esse integrum, & totale, quomodocunque ponatur unum per se, utique non habuit ab æterno sed in tempore solum, ut dictum est *n.* 321. Ad 2. fi argumentum urget, probaret pariter has propositiones admittendas non esse *Christus est corruptibilis*, *Christus est materialis*, ratione humanæ naturæ, hæc enim pariter prædicata indifferenter denominant suppositum humanum, & naturam, cùm utrisque conveniat ex sua ratione formali, non minus, quam denominatio creaturæ; sicut ergo hac non obstante ratione, ab omnibus conceduntur, ut veræ propositiones istæ, Christus est materialis, est corupribilis &c. quamvis indifferenter denominare natæ sint suppositum, & naturam, & conceduntur, ut veræ ratione naturæ humanæ, idem pariter dicendum erit in proposito de hac propositione *Christus est creatura*. Quare ratio concludit solùm, quod esse creaturam non potest de Christo simpliciter dici, tanquam prædicatum, quod ipsi immediatè competat, sicut competeret supposito humano, quod planè verissimum est, quia non competit ipsi, nisi mediante humanitate. Ad 3. Scotus *loc. cit.* non absolutè dicit illam propositionem esse falsam *Christus in quantum homo est creatura*, sed inquit, quod si ea propositio cum reduplicatione sumatur, idem iudicium de ea ferri debet, quod de absoluta, undè si hæc, *Christus est creatura*, est vera, etiam & illa; & si est falsa, utraque est falsa; Ratio est, inquit Doctor, quia manente eadem causa, manet & idem effectus; cum ergo repugnantia extremi ad extremum sit causa præcisa falsitatis propositionis affirmativæ; illa non sublata, sed manente, necessariò illa propositio erit falsa; at reduplicatio secundum suam propriam rationem non diminuit alterum extremum, sed determinat illud in ordine ad prædicatum; ergo si propositio affirmativa est falsa ex repugnantia extremorum, quavis reduplicatione addita, erit falsa; quin per reduplicationem non tollitur illa repugnantia, supponit enim reduplicatio suam propriam iacentem esse veram, & solum explicat rationem formalem connexionis prædicati cum subiecto.

Hinc non rectè discurrunt quidam Thomistæ, qui negant istas propositiones absolutè prolatas *Christus est creatura*, *Christus incepit esse* & easdem concedunt addita reduplicatione *Christus secundum quod homo est creatura*, *incepit esse*; reduplicatio enim propriè dicta non tollit repugnantiam extremorum inter extrema propositionis affirmativę existentem, quare si prejacens absolutè, & simpliciter sumpta est falsa, adhuc etiam talis remanet addita reduplicatione; Quoniam igitur jam concessimus hanc propositionem esse absolutè veram *Christus est creatura* idè quoque judicium ferendum est de ipsa, si addatur reduplicatio, *Christus, secundum quod homo, est creatura*. Dices, hanc propositionem omninò esse concedendam, & de facto ab omnibus concedi, ut veram, etiamsi præiacens absolutè sumpta censeatur falsa. Respondent Doctor, hanc propositionem esse veram sumendo ly *secundum quod* specificativè, ità tamen, ut specificet, & diminuat, seu distrahat prędicatum notando creationem secundũ quid, ut eius sensus sit, Christus est creatura secundum humanitatem, sicut dicimus, quod Æthiops est albus secundum dentes, sic enim intellecta propositio determinat creaturam, sivè creationem ad humanitatem, ità quod ly *secundum humanitatem* se teneat ex parte prędicati ipsum determinando, & distrahendo, quem sensum pati nequit illa propositio, si ly. inquantum, vel secundum quod, reduplicative sumatur.

328 Quarta Difficultas est an possit dici *Christus, quatenus homo, est prædistinatus*, ac etiã, an sine addito dici possit absolutè *Christus est prædistinatus*: Et quidem prima propositio passiva ab omnibus conceditur: Ratio est quia Christus in quantum homo, ab æterno est à Deo dilectus, & ordinatus ad perfectissima dona gratiæ, & glorię, quæ illi, ut homini, ab æterno ordinata sunt, proprissimè ergò, & perfectissimè potest dici prędestinatus multò magis, quam alii homines. At aliam propositionem absolutè prolatam non ità facilè omnes conceduit, imò eam ex nostris negat Centinus disp. 10. c. 9. quia prædestinatio respicit personam, sed persona Christi nequit dici prędestinata, ergo &c. Ceterum Scotus 3. *dist.* 7. *qu.* 3. §. *Respondeo* eam concedit, & cum eo Scotistę passim, & alii Recentiores, ratio est, quia Christus significat divinum suppositum in duabus naturis subsistens divina, & humana, at huic supposito, ut in humana natura subsistenti, verè competit prædestinari, ergo &c. Non obstat, quod Verbo divino simpliciter non competat prędestinari, etenim à prędicato trahitur subiectum ad supponendum, non pro divino Verbo simpliciter, sed ut subsistenti in natura humana, quo pacto ei convenit prædestinari, juxtà regulam superius tractatam de aliis prædicatis. Confirmatur, quia ita passim loquuntur Scripturæ, Patres, & Concilia, nam 1. Corinth. 2. loquens Apostolus de Christo ait *loquimur Dei sapientiam; quam prædestinavit Deus antè sæcula in gloriam nostrum*, & Conc. Toler. 11. *Per hoc, quod de Maria Virgine natus est, & prædestinatus est*, sic etiam loquitur Aug. tract. 105. in Joan.

Res-

329 Respondet Centinus hæc omnia intelligi de Christo, ut homine, non de Christo absolutè. Contrà, quia quod convenit suppositoCHristi ratione alicujus naturæ, convenit Christo simpliciter, ut pateret de morte passione, resurrectione &c. ergo idem de prædestinatione erit dicendum. Dices est Christus ex se beatus, ergo non potuit ad beatitudinem ordinari. Respondeo, esse beatum, competere quidem Christo ex ratione intrinseca suæ divinitatis, itaquod ut Deus, est intrinsecè beatus, non verò sub ratione humanitatis, cùm igitur Christus utramque includat naturam divinam, & humanam, respectu huius prædicati, *prædestinatio ad gloriam*, stat non ratione divinitatis nec ratione suæ totalitatis, sed ratione unius partis, scilicet, humanitatis, sicut in hac Christus est risibilis, mortalis, &c. ideoque illa propositio absolutè, & sine ulla determinatione verificari potest. Dices, si Christus ratione humanitatis tantùm dicitur prædestinatus, ergo non potest simpliciter, & absolutè dici prædestinatus absque addito, probatur consequentia, nam quando prædicatum natum est convenire tantùm secundùm partem, non determinat subiectum absolutè, nec sic de eo prædicatur, si inest secundùm partem tantùm, undè non valet dicere Æthiops est albus secundum dentes, ergo est albus absolutè loquendo, quia albedo convenit ei secundum partè tantùm, non secundùm totùs.

330 Resp. ad id iam dictum esse *nu.* 324. nunc autem addo quod quando prædicatum natum est convenire secundum totum & secundum partem, utique non determinat subiectum absolutè, nec sic de eo prædicatur, si inest tantùm secundum partem, ut constat in adducto exemplo de Æthiope albo secundum dentes, quia albedo nata est convenire nedùm dentibus, sed etiam aliis corporis partibus: At quando prædicatum natum est convenire subiecto secundum partem tantùm, nunc prædicari potest de eo simpliciter, & absolutè, undè Petrus dicitur simpliciter, & absolutè crispus, etiamsi crispus sit secundum caput tantùm, vel capillos, quia prædicatum non potest convenire subiecto, nisi secundum partem tantùm, que doctrina est Scoti 3. *dist.* 13. *qu.* 1. ad 4. sic ergo in proposito, esto prædestinatio conveniat Christo tantùm secundùm humanitatem, adhuc tamen potest simpliciter, & absolutè dici de Christo, quia est prædicatum secundi generis, imò potiori ratione, quàm crispum esse Petrum, quia humanitas non est minima pars Christum constituens, sicut est capillus respectu Petri, qua ratione etiam diximus suprà *n.* 326. Christum absolutè dici posse creaturam, quia hoc prædicatum non est ei natum convenire, tàm secundùm totum, quàm secundum partem, quia tale prædicatum non potest immediatè competere toti Christo, ut est subsistens in utraque natura, sed tantùm mediatè ratione naturæ humanæ, ut diximus *loc. cit.* sustinendo alteram problematis partem, quod Christus absolutè loquendo potest dici creatura ratione alterius partis, nempè humanitatis, juxtà quam negavimus prædicatum creaturæ in Christo esse prioris generis, quod scilicet, natum sit convenire, & secundum totum, & secundum partem.

331 Ad fundamentum Centini in oppositum, quod prædestinatio respicit personam, persona autem Christi dici nequit prædestinata, ex modò dictis distinguenda est hæc minor, quod licet dici nequeat prædestinata, ut in natura divina subsistens, benè tamèn, ut subsistens in natura humana; Negat etiam Scotus *dist.* 7. *qu.* 3. majorem, quia etiam natura dici potest prædestinata, undè concedit, quod humanitas Christi est prædestinata ad gratiam, & gloriam, ac etiam ad unionem hypostaticam; Quod verò dici solet prædestinationem esse tantùm suppositi, non naturæ, quia actiones sunt suppositorum, parum urget, nam sæpius dictum est, hoc tantùm esse intelligendum secundum denominationem, & præcipuè id verum est in actionibus immanentibus, quarum principium elicitiuum esse etiam debet receptivum; Hoc autem probat Doctor, quia sicut Deus potest omne bonum aliud à se diligere, non tantùm suppositum sed etiam naturam, ità potest illi præordinare, vel præoptare bonum ei conveniens; at gratia, & gloria sunt bona humanitati Christi convenientia, quia immediatum subiectum earum receptivum non est suppositum, sed ipsa humanitas, seu anima Christi; ergò potuit Deus humanitati præordinare, & præoptare gloriam; quia etiam ratione probatur, potuisse prædestinari ad hypostaticam unionem, quà humanitas fuit subiectum unionis receptivum, utpotè quæ fuit verè, & realiter Verbo unita; ergo fuit à Deo ad hanc unionem præordinata, & ita loquitur August. de Prædest. Sanctorum *cap.* 15. *Prædestinata ista natura humanæ tanta subvectio, ut quò attolleretur, altius, non haberet.*

332 Hic autem dubitari solet; an humanitas Christi prius prædestinata fuerit ad gratiam, & gloriam, quàm ad unionem hypostaticam? Thomistæ passim docent prius fuisse ordinatam ad unionem, & posteà ad gloriam; quibus etiam plures subscribunt Scotistæ; Alii verò Scotistæ docent oppositum; sed quamvis hoc secundum defendi posset in sententia affirmante subsistentiam quid positivum dicere, & à natura separabile. Nihilominus stando in sententia de negativo, quæ communior est in nostra Schola, primum verius est, ac probabilius, quod prius fuerit ordinata humanitas ad unionem, quàm ad gratiam, & gloriam siquidem ut docet Doctor 3. *dist.* 1. *qu.* 2. *art.* 2. humanitati prius convenit personari, quam habere accidentia, siquidem subsistentia spectat ad complementum substantiæ naturæ, ut *disp.* 1. dictum est; quod si in secundo instanti naturę humanitas non est alieno supposito unita, est in se suppositata, si est à parte rei, vel in se suppositata intelligitur, si loquamur in ordine ad intellectum; ergo decretum prædestinationis ad gloriam necessariò præsupponebat humanitatem in Verbo suppositatam, & consequenter decretum unionis præcessit decretum ad gloriam; consequentia patet, quia si non presupponeretur decretum unionis humanitatis cum Verbo, jam fuisset ordinata ad gloriam, ut in se suppositata; quę doctrina conformis est jam dictis de ordine in prædestinatione servato *lib.* 1. *disp.* 5. *q.* 2. *art.* 8. *à n.* 207.

Sed urgebis regulam Scoti, quod ordinatè volens prius vult finem, deindè media ad finem; ergò Deus cùm sit ordinatissimum volens, prius voluit humanitati Christi finem, quæ est gloria, deindè alia propter finem, scilicet gratiam, & unionem hypostaticam. Respondetur cum P. Belluto, quod ordinatè non solùm vult prius finem *cujus*, sed simul vult prius finem *cui*, nam uterque finis unum totalem finem integrant ex dictis *disp.* 7. *Physicæqu.* 8. *art.* 1. & ideò Deus non solùm in primo signo voluit gloriam, sed hanc gloriam voluit humanitati Christi, quæ est finis *cui*, & consequenter debebat humanitas supponi, vel in se, vel in alio; & quia nunquam fuit in se suppositata, necessariò decretum unionis præcedere debuit; quare regula illa valet de fine, & de conducentibus ad finem consequendum, non verò de attingentibus ad constitutionem substantialis esse finis *cui*, de quorum numero est subsistentia, sicut etiam jam explicuimus *lib.* 1. *disp.* 5. *qu.* 2. *art.* 4. *à n.* 113. 333

Quinta tandem Difficultas est, an hæc propositio absolutè prolata sit vera, & concedenda, *Christus prædestinatus est Filius Dei*: quam negant passim Thomistæ: Sed Scotus concedit 3. *dist.* 9. *quæ.* 3. & ratio deducitur ex regula sæpè repetita, quod quando subiectum alicujus propositionis plura includit, potest à predicato determinari, ut pro uno supponat, & non pro alio, sic album, quamvis pro formali dicat formam, & suppositum pro connotato, à prædicato tamen determinari potest, ut in propositione fiet pro forma tantùm, ut si dicamus, album est accidens, vel est disgregativum visus, vel pro supposito tantùm, ut cùm dicimus, album est calidum, & quæ liber harum propositionum est vera, & propria simpliciter, absolutè absque ullo addito, ergò quia hoc prædicatum, *prædestinari ad unionem*, vel ut *sit Filius Dei*, convenit humanitati Christi, poterit enunciari de Christo absolutè, quia tale subiectum determinatur, ut pro humanitate supponat, non verò pro supposito, & in hunc modum planè loquitur Apost. ad Rom. 1. *De Filio suo, qui factus est ex semine David secundum carnem, qui prædestinatus est Filius Dei in virtute.* Dices, terminus ad quem prædestinationis nequit esse subiectum eiusdem, nam terminus prædestinationis non includitur in obiecto, sed ab eo distinguitur, at ly *Filius Dei*, includitur in Christo, quia Christus dicit suppositum Verbi; Ergo, &c. Respondeo ad minorem, quod si terminus ille *Christus*, absolutè sumatur, verum est, falsum verò, si in propositione sumatur respectu Prædicati prædestinationis, quandoquidem ab hoc ipso prædicato determinatur ab supponendum pro humanitate.

QUÆSTIO DUODECIMA.

An Christus verè, & propriè pro nobis nunc oret in Cælo.

CHristum in hac vita mortali pro nobis orasse certum est ex Scriptura *Ascendit in montem solus orare.* Matth. 14. Exiit in montem orare, & erat *pernoctans in oratione Dei*, Luc. 6. *Pater si possibile est &c.* Matth. 26. Quæritur ergo, an hunc eundem actum Religionis excellentissimum etiam nunc in Cœlo pro nobis exerceat? dixi autem *verè & propriè*, quia oratio bifariam sumi potest; primò fusè, quo sensu significat omnem actum interiorem, quo mens elevatur in Deum per meditationem, devotionem, & similia; secundo propriè, quo pacto definitur à Scoto 4. *dist.* 45. *q.* 4. *E. Quod fit desiderium Deo oblatum ex intentione, ut ab ipso habeatur optatum*, quod quidem desiderium, si est actus sola mente elicitus, dicitur oratio mentalis; si voce explicatus, dicitur oratio vocalis. 334 335

Quando autem quæritur, an Christus verè & propriè pro nobis in hac vita oraverit, & num etiam sic adhuc pro nobis oret in Cælo, certum est non esse quæstionem de Christo, ut Deo, seù secundum divinitatem, sed de Christo, ut homine; cùm enim oratio sit petitio inferioris à superiori, & Christus, ut Deus

Deus superiorem se non habeat, utique non poterit, ut Deus orare. Confirmatur, quia oratio est actus deprecantis alium, ut se adjuvet, ac proindè est actus indigentis ope alterius, at Christus secundum divinitatem nullius ope indiget. Denique cùm oratio sit explicatio affectus, & voluntatis unius erga alium, ut ab eo de re optata exaudiatur, ut inquit Scotus loc. citat. supponit distinctionem voluntatum exorantis, & exorati, undè ex oratione Christi Deus solent colligere Patres in Christo præter voluntatem increatam esse etiam creatam; cùm igitur Christus, ut Deus, vel ut Verbum distinctam voluntatem à Patre non habeat, planè sequitur, ut Deum, vel Verbum non posse orare Patrem, sed tantùm, ut hominem; ac ità conceptis verbis rem declaravit D. August. in Præfat. enarrationis secundæ in Psalm. 29. ubi explicans illud Marci 1. *Secedens autem ibi orabat*, ita loquitur, *si divinitatem Christi considerans, quis orat? ad quem orat? quarè orat? orat Deus, orat ad æqualem, causam autem orandi, quam habet semper omnipotens, æternus, Patri coæternus. Intumtes ergo, quod ipse per Iouan. intonuit: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, &c. hucusque dicentes non invenimus orationem, nec causam orandi, nec affectum orandi; sed quoniam paulò post dicit, & Verbum caro factum est, & habitavit in nobis, habes manifestatem, ad quam ores, habes humanitatem, quę pro te orat.* Quibus verbis perspicuè docet Aug. Christum, ut Deum, & ut Verbum non orare, nec habere ad quem oret, nec causam orandi, sed solùm, ut hominem.

337 Ex quibus patet, quam inconsideratè Vulpes *disp.* 33. *art.* 2. asseruit Christum, ut Verbum Dei orasse, & hanc orationem fuisse physicè, & infinitè meritoriam apud Deum Patrem, ad quem ut ad primam personam, orationem suam dirigebat. Hic enim fuit error quorundam Græcorum, qui sicut docebant Christum, ut personam divinam, esse inferiorem, & subiectam Patri, ità pariter asserebant Christum, ut personam divinam propriè orasse Patrem; sic enim ad Verbum suam ibi declarat opinionem, dum inquit, quod Christus, ut Deus essentialiter non orat, non rogat Patrem, nec illi gratias agit; sed ratione personæ, qua ratione est inferior, inæqualis, & subiectus Patri, qua doctrina putat primam rationem esse solutam; *& art.* 3. *n.* 7. ait, eandem voluntatem esse in Patre, & Filio absolutè, sed aliam relatè, per quod etiam ultimo argumento satisfactum esse opinatur. Sed planè hæc omnia sunt prorsus nova, ac inaudita in Scholis, & parum in fide tuta, & quomodo hæc doctrina de inferioritate Verbi ad Patrem cum eo consonet, quod fides docet de æqualitate divinarum personarum, non satis percipio, nec quæ sit hæc alietas relativa voluntatis, vel volitionis Patris, & Filii, quia fides docet unicum esse actum operativum divinæ voluntatis ad intrà tribus divinis personis communem, quia essentialia, qualis est divina volitio, sunt communia; Neque ex divinarum personarum origine unius ab alia, neque ex earum missione talis inferioritas, vel superioritas personalis colligitur, quæ ad hoc sufficiat, ut una aliam rogare possit, & apud eam mereri, ut latius infrà ostendo contra eundem Vulpium *disp.* 3. de merito Christi *qu.* 8. *art.* *n.* 285. & 286. Confirmatur, quia omnes actus divinarum personarum, qui non sunt operationes transeuntes ad extra, sunt æterni, sicut ipsæ divinæ personæ, quæ sunt æternitus immutabiles, & omnis novitatis incapaces; at si Christus oravit, non nisi in tempore assumptæ humanitatis oravit, ut in Evangelio habemus signum evidens orasse solùm, ut hominem, & secundum humanitatem, non verò ut Verbum, & secundum divinitatem.

338 Respondet Vulpes cit. Christum, ut Verbum Dei etiam ab æterno rogasse Patrem, qua oratione meruit, & de condigno impetravit à Patre communicationem divinæ naturæ ad intra simpliciter necessariò Spiritui Sancto, ad extrà communicationem ejusdem divinæ naturæ hypostaticè propriæ humanitati; gratuitè, & beneficè omnibus electis, & omnia alia beneficia à Deo creaturis collata. Verùm hic est error prior priore, quod Verbum ab æterno Patrem oraverit, & ab eo productionem Spiritus Sancti de condigno impetraverit, hinc enim sequeretur productionem Spiritus Sancti non esse simpliciter necessariam, ut benè urget Bellutus *disp.* 14. *q.* 1. *n.* 23. quia præmium non habet necessariam connexionem cum merito, nisi ex suppositione voluntatis præmiantis, quæ utique libera est, & absolutè potest præmium non conferre; & planè hæc adeò absurda sunt, & inaudita, ut omninò pudeat ea referre & ulterius prosequi.

339 Supposito igitur hanc quæstionem non esse de Christo, ut Deo sed præcisè, ut homine, ut certa ab incertis secernamus, certum est Christum in Cœlo nunc existentem aliquo modo pro nobis orare, quia id apertè constat ex Scriptura Rom. 8. *Qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis*; & 1. Joan. *Advocatum habemus apud Patrem Iesum Christum*, & Joan. 14. *Ego rogabo Patrem, & alium paraclitum dabit vobis*; & similia passim leguntur in Scripturis; sed quæstio est, quomodo id intelligendum sit, potest enim dupliciter intelligi; primò, quod verè, propriè, & expressè oret petendo aliquid pro nobis; Secundò quod solùm impropriè, seu interpretativè, oret repræsentando suam passionem, & merita. Prima Opinio tenet hoc tantùm modò Christum nunc pro nobis orare tacitè ostendendo Patri suam humanitatem, & cicatrices, in ipsis simul repræsentans sua præterita merita, & præces pro hominibus, dum viveret fusas, quæ cùm perseverent in conspectu Dei, moveant illum ad gratias tunc petitas concedendas, quo pacto omnia loca Scripturę adducta interpretantur, atque ideò negant Christum verè, & propriè pro nobis nunc in Cęlis orare, ità Vasquez, Beccanus, Medina, Meracius, Baldius, Gaspar Hurtadus, Cardinalis de Lugo, qui licet in Christo admittat actum postulationis expressæ, negat tamen hunc actum esse veram orationem, quoniam inquit ad orationem exigi in orante impotentiam exequendi optatum quæ non fuit in Christo post resurrectionem, ex Matth. 28. *Data est mihi omnis potestas in Cœlo, & in Terra.* Alia opinio affirmat Christum Dominum non solùm tacitè, & interpretativè insinuatione, sed apertè, & expressè voluntatis suæ repræsentatione, ac manifestatione, ac proindè verè, & propriè pro nobis nunc in Cęlo orare; ita Suarez citans D. Th. D. Bonav. Alensem, & alios Bernal, Averſa, Granadus, Arriaga, Ragusa, Caspensis, Orlandus, Amicus, Morandus, Petrus Hurtadus, qui licet fateatur Christum verè pro nobis nunc in Cælis orare, addit tamen hoc non facere nova oratione, sed eadem, quâ fudit in Cruce, quo tempore omnia dona, quę præviderat esse nobis in posterum concedenda, postulavit à Patre ex ardenti desiderio salutis nostræ, nec ab illa cessavit, donec postulata adimplerentur. 340 341

ARTICULUS PRIMUS:

Sententia stabilitur affirmativa.

HÆc sententia communior est, ac longè probabilior, utpotè conformior modo loquendi Scripturæ, Patrum, & Theologorum; nam auctoritates adductæ pro parte affirmativa ægrè patiuntur expositionem adversæ sententiæ de oratione interpretativa, siquidem hic orandi modus, si non adsit expressa petitio, est valdè imperfectus, ac veluti mortuus, undè etiam Corpori Christi in triduo convenire poterat, ut ait Bellutus *loc. cit.* tunc enim Corpus Christi cicatrices retinebat, & repræsentabantur ipsi Deo, & meritum passionis esse obiectivum habebat in mente Dei; ergo præter ostensionem vulnerum simplicem, & materialem coniunctus esse debet in Christo actus impetrationis, & petitionis expressus. Et quidem locus ille præsertim Jo: 14. *in illo die ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis* eam expositionem Vasquez omninò non recipit, nam eo genere orationis interpretativæ Christus oravit, & orat semper constanter, & eodem planè modò quamdiù est in Cęlo; ac illis verbis significavit Christus specialem quandam orationem eo die futuram, quo Spiritus Sanctus erat à Patre mittendus, nam verba illa *in illo die ego rogabo Patrem*, sine dubio significant aliquid illius diei proprium, & peculiare, cùm ergo id optimè possit, & commodè explicari per veram, & propriam orationem illo die fundendam, frustra ad orationem interpretativam, & metaphoricam recurritur. Idem etiam ostendit alter locus ad Hebreos 7. ubi Paulus loquens de Christo, ait, *Unde & salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum semper vivens ad interpellandum pro nobis*, nota verba illa *semper vivens*: illis enim significat hanc orationem modò fieri à Christo modo vivo, ac non veluti mortuo, qualis est modus orandi ab Adversariis assignatus; Et planè hoc modo hæc, & alię Scripturæ loca de Christi oratione in Cœlis intelligunt, ac interpretantur Patres, ut ex instituto probat Arriaga *disp.* 49. *sect.* 3.

Secundo probatur ratione, quia oratio non dedecet Christum eo quod Deus est, tum quia est etiam homo, tum quia nec in Terris orasset, nec etiam repugnat cum ratione status beatifici, constat enim Beatos in Patria orare, ut docet Scotus 4. *dist.* 45. *q.* 4. nec etiā est id ejus dignitatem indecens, immò maximè decens, quia est actus religionis nobilissimus; cùm ergo oratio nullam includat imperfectionem repugnantem, aut divinitati, aut beatitudini Christi, vel ejus dignitati, non est cur ei sit deneganda. 331

Respondet Lugo ad rationem orationis requiri impotentiam in orante obtinendi, vel faciendi optatum, quæ non est in Christo immortali, cui post resurrectionem data est omnis potestas in Cælo, & in Terra Matth. 28. Sed contrà, quia ut eleganter urget Bellutus hinc sequeretur Christum etiam in Terris degentem propriè non orasse, quia talem impotentiam non habebat, siquidem virtus omnia faciendi non fuit Christo communicata solùm post resurrectionem, ut opinatur Lugo, sed etiam anteà, ut habetur Ioan. 13. *Sciens Iesus quia omnia dedit ei Pater in manus*, quo; sanè satis constat ex tot patratis miraculis, dùm viveret; Undè post resurrectionem dicitur à Patribus